4

FRATRIS PETRI DE VINCENTIA ORDINIS PRÆDICATORVM

Opuſculum de veritate Conceptionis Beatiſſimę Virginis Mariæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRATRIS PETRI DE Vincentia, Ordinis Prædicatorum, Opuſculum de veritate Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

In quo continentur dicta ducentorum ſexdecim Doctorum de Conceptione Beatæ Virginis.

Quod primus homo fuit à Deo inſtitutus cum tribus praeclariſſimis donis.

Primum Capitulum.

Vt quilibet liberiùs Doctorum ſententias, quas allaturi ſumus, percipere valeat, quid originalis iuſtitia, quidque ſit originale pec-

catum hoc loco quàm breviſſimè atque dilucidè demonſtrandum eſſe iudicamus. Eſt igitur ſciendum, vt firma Sanctorum Doctorum doctrina tradit, hominem in primo ſtatu ſic à Deo immortali inſtitutum fuiſſe, vt animæ eſſet corpus omninò ſubditum, itemque eiuſdem animæ inferiores vires nulla intercedente repugnantia aut contradictione rationi ſuperiori omnibus in rebus promptiſſimo ſtudio obſequerētur & obedirent, ac demùm mens ipſa hominis Deo creatori ſuo penitùs ſubjecta iaceret. Ex eo autem, quod in illa ſtatus integritate corpus humanū animæ totaliter ſubdebatur, nulla homini alteratio poterat accidere, quæ dominio animæ ſupra corpus repugnaret. Quo fiebat, vt neque mors neque infirmitas vlla hominē vexarent, cùm huiuſmodi defectus exinde proueniant, quia nō perfectè anima corpori dominatur. Ex eo verò, quòd inferiores animæ vires rationis imperio ſubjectæ parebant, poſſidebat homo omnimo-

dam mentis tranquillitatẽ, quâ mens humana nullis inordinatis paſſionibus turbabatur. Ita enim tàm integrè tàmque perfectè ſenſualitatis habenas ratio moderabatur, vt in inferiori appetitu ſenſibili nullus concupiſcentiæ motus, vel irę, timoris, inuidiæ, cæterarumque paſſionum non imperante ratione poſſet inſurgere. At quia humana ratio conditori ſuo totaliter ſubdita erat, dirigebat homo ſuos omnes actus in Deum, vt in finem vltimum, in quo eius iuſtitia & innocentia conſiſtebat: vnde ex tali iuſtitiæ rectitudine decorus quidam nitor ac ſpiritualis pulchritudo in anima reſultabat, quâ Deo conformis exiſtens ei in amicitia ac dilectione iungebatur.

Quid ſit originalis iuſtitia, in quâ primus parens fuit creatus.

SECVNDVM CAPITVLVM.

HÆc autem corporis humani diſpoſitio, & talis inferiorum

virium ſubjectio non ex naturalibus principijs ortum ſumebat, ſed ex ſuperiori quadam virtute naturam corporis corporearumque virium excedente cauſabatur. Hanc vtique æternus Deus pro ſua ampliſſima liberalitate animæ rationali gratis contulerat, vt ſupra conditionem corporis ipſum contineret, & inferiores vires ſenſibiles gubernaret, ſecundùm quod rationali animæ congruebat: verùm, vt ratio humana inferioribus plenè dominari poſſet, opôrtebat ipſam immortali Deo in cunctis eſſe ſuppoſitam, à quo ſupra naturæ ſuæ conditionem prædictam virtutem gratis acceperat. Hanc autem ſupernaturalem virtutem primo parenti præſtitam originalem iuſtitiam ſancti appellauere Doctores: Quæ nihil aliud eſſe videtur, vt definitione vtamur, quàm rectitudo quædam rationis & voluntatis in Deũ cum perfecta ſubjectione corporis ad animam & inferiorum virium ad rationem. Fuit igitur homo in illa primi ſtatus integritate ſic in-

ſtitutus, vt, niſi eius ratio abducere-
tur à Deo, nec corpus eius à vita animæ poſſet abduci, nec ſenſibiles vires à rationis imperio declinare.

Adam propter peccatum iuſtitiam originalem perdidit, & tribus malis ſe ſubjecit.

TERTIVM CAPITVLVM.

ET quia hoc cœleſte donum fuit primo parenti diuinitùs collatum, non vt cuidam particulari perſonæ, ſed vt principiũ erat totius humanæ naturæ ab eo naturaliter propagandæ, ideò ſimul cum natura tale donum ad poſteros traductum fuiſſet. Acceperat enim primus parens à Deo hanc gratiam & poteſtatem, ſi ſe ſine peccato ſeruaſſet diuinis præceptis obtemperando, vt omnes filij, qui ab eo per ſeminalem propagationem naturam humanam conſequebantur, ſimul cum anima rationali donum originalis iuſtitiæ coaccepiſſent: ſed quia Adam ino-

bediens ſubjicere ſe diuinæ voluntati noluit, id cœleſte munus, quod ſibi & omibus poſteris gratis collatum fuerat, propter peccatum ingratitudinis iuſtiſſimè perdidit, & multis malis grauiſſimis ſe implicando ſubjecit. Ex ſubtractione nempè talis doni primò illa ſpirituali pulchritudine voluntas humana priuata eſt, quam priùs habebat, in cuius priuatione deformitas & macula culpæ conſiſtere dicitur; ſecundò remotum eſt fræ-num & gubernaculum, quo vires inferiores ſine vlla contradictione anteà rationi parebant, ex cuius ſubtractione rebellio & concupiſcentia, quæ fomes peccati appellatur, ſubſecuta eſt. Vnde factum eſt, vt homo in appetitu ſenſibili illicitos & inordinatos motus iræ, odij, concupiſcentiæ, cæterarumque paſſionum recuſantium fræna rationis ſcaturire ſentiret, adeò, vt eam plerumque obnubilarent; & quaſi à bono totaliter retraherent. Tertiò ablata eſt obedientia corporis ad

animam, quâ ipſum corpus in quadam humorum tranquillitate ac mirabili harmoñia conſeruabatur; ſed eâ fractâ conſecutum eſt, vt infirmitates, morbi & alij corruptionis defectus hominem inuaderẽt, & ob hoc moriẽdi neceſſitatem incurreret, quaſi non valente anima ampliùs corpus in perpetuitate continere vitam ei diuturnã perſeueranter præſtando; factuſquè eſt homo paſſibilis atque mortalis, vt non ſolùm eſſet potens pati & mori, ſed iàm quaſi habens neceſſitatem & debitum patiendi & moriendi.

Quid ſit originale peccatum, & quo pacto in omnes homines transferatur.

QVARTVM CAPITVLVM.

QVia autem ſupradictum originalis iuſtitiæ donum ſic humanæ naturæ, quæ tota in parente primo extabat, diuinitùs collatum fuit, vt per ipſum ſolum tranſiret ad

poſtecos ab eo ſeminaliter propagandos; ſubmota autem cauſa effectum quoque remoueri neceſſe eſt, conſequens fuit, vt primo homine per proprium inobedientiæ vitium priuato cæleſti munere, omnes etiã poſteri per rationem ſeminalem ab ipſo generandi tali etiam dono priuarentur: qua de cauſa omnes infantes, qui ab Adã ſunt ſeminaliter geniti cum carentia originalis iuſtitiæ, quæ eis debebatur, ſi Adam non peccaſſet, concipiuntur. Et ob hoc ſacri Doctores, omnes infantes tali modo conceptos affirmant, in ipſa infuſione animæ rationalis peccatum originale contrahere, quod nihil aliud eſſe dicũt, quàm carentiam originalis iuſtitiæ debitæ ineſſe, ad quam ſequitur habitualis inclinatio inordinata appetitus ſenſitiui in aliquid præter imperium rationis propter inobedientiam Adæ ex actu generationis per libidinem vel concupiſcentiã in prole creatam. Nec hoc ordini diuinæ iuſtitiæ cõtrarium eſt, quaſi Deus puniat in filijs, quod

primus parens deliquit. Nam hæc pœna non eſt niſi ſubtractio eorum, quæ ſupernaturaliter primo homini diuinitùs ſunt gratis conceſſa, per ipſum hominem, ſi ſtetiſſet, & non aliter ad poſteros deriuãda. Nam illud donum originalis iuſtitiæ poſteris non debebatur, niſi per primum parentem in eos tranſiſſet. Et cùm nemo det alteri, quod non habet, nòn poterat illud donum per ipſum ad poſteros tranſire, niſi illud per obedientiam ſibi ipſi conſeruaſſet: Et ideò Adam per inobedientiam tali dono priuato, iuſtum fuit, vt omnes poſteri eius ab eo ſeminaliter propagandi tali dono priuarentur, ad quos non debebat nec poterat, niſi per ipſum tranſire; ſicut ſi rex det feudum militi tranſiturum per ipſum ad hæredes; & miles contra regem peccet tali peccato, quòd feudum mereatur amittere, non poterit poſtmodùm feudum ad eius poſteros devenire. Vnde iuſtè tunc puniuntur poſteri propter culpam parentis ex carentia ſiue priuatione

feudi ſibi debiti, ſi pater non peccaſſet, quod gratis patri collatum fuerat per ipſum, ſi non peccaſſet, ad filios tranſiturum. Sic in propoſito primo parēti in ſui prima inſtitutione diuinitùs collatū eſt donum originalis iuſtitiæ in quantùm erat principium humanæ naturæ, quæ tota in ipſo erat, vt videlicet ab eo per ſeminalem propagationem deriuaretur in poſteros. Hoc autem donum gratis acceptum poſtmodùm homo per liberum arbitrium peccans amiſit eo tenore & conditione, quâ ſibi datum fuerat ſcilicet pro ſe & pro omni ſua poſteritate. Et ideò priuatio doni originalis iuſtitiæ debitæ totam eius poſteritatem conſequitur, quæ habet rationem culpæ propter voluntatem primi parentis, qui cùm potuiſſet talem iuſtitiam ſine omni difficultate ſemper ſeruare, eam ſponte deſerüit. Et quia Beata Virgo Maria & omnes alij homines, excepto Chriſto, fuerunt in Adam, vt ab ipſo naturaliter & ſeminaliter propagandi, ideò ſicut

potuit

potuit Beatæ Virgini & omnibus alijs, excepto Chriſto, prædictum originalis iuſtitiæ donum ſeruare, ita ſponte delinquẽdo illis iuſtitiã orignalem perdidit. Et ob hoc cum priuatione originalis iuſtitiæ concipiuntur, & debito Adæ adſtricti in vtero matris naſci dicuntur. Ex quibus clarè patet, quid importet hoc, quod dicimus, B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali: per quod nihil aliud intelligimus niſi quòd, quando anima rationalis ei infuſa fuit, caruit iuſtitia originali, quæ ſibi debebatur, ſi Adam non peccaſſet: ſed, quia ſponte ipſe deliquit, eam ſibi, & B. Virgini, & omnibus alijs ab eo ſeminaliter propagandis abſtulit, ſicut Sancti aſſeruere Doctores.

Incipiunt auctoritates Sanctorum Doctorum.

Quia Dominus Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis Doctor egregius, maximus diuinorum eloquiorum perſcrutator extitit, &

veluti apis argumentoſa omnium illuſtrium antiquorum Doctorum ſententias atque flores in vnum volumen compendiosè redegit, ob hoc Magiſter ſententiarum eſt appellatus, idcircò eius teſtimonium primo loco adducere decreui, vt ipſe nobis referat, quid de conceptione B. Virginis Sancti Doctores ſecundùm Fidem Catholicam tenendum poſteros docuerunt. Hic igitur in 3. ſent. diſt. 3. §. 1. tale de Chriſto & de matre eius profert teſtimonium, ſic dicens. Sanè dici poteſt & credi oportet iuxtà Sanctorum atteſtationis conuenientiam, ipſam carnem Filij Dei, antequàm conciperetur peccato fuiſſe obnoxiam in Maria, ſicut fuit reliqua Virginis caro, ſed poſtmodùm Spiritus Sancti operatione ſuperueniente ita mundatam fuiſſe, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Dei Verbo, pœna tantùm non neceſſitate ſed voluntate aſſumentis remanente; Mariã quoque totam Spiritus Sancti in eam veniens à peccato prorſus

mundauit, & a fomite peccati liberauit, vel fomitem ipſum penitùs evacuando, vel ſic debilitando & extenuando, vt ei poſtmodùm peccandi occaſio nullatenùs extiterit. §. 2. Quod autem ex tunc ſacra Virgo ab omni peccato immunis extiterit, Auguſtinus euidenter oſtendit in libro de natura & gratia inquiens. Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ ſit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ illum concipere & parere meruit, quem nullum conſtat habuiſſe peccatum. Et modicum infra §. 3. Cum autem, inquit, caro illa Chriſti, cuius excellentia ſingularis verbis explicari non poteſt, antequàm eſſet Verbo vnita, obnoxia fuerit peccato in Maria, & in alijs, à quibus propagatione traducta eſt &c. §. 4. Aſſumpſit enim non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati: Accepit enim Verbum car-

nem peccatrici ſimilem in pœna & non in culpa. Cætera vero hominum caro, peccati caro eſt; ſola illius non eſt caro peccati, quia non eum mater cōcupiſcentiâ, ſed gratiâ concepit &c. Licet ergo eadem ſit caro Chriſti, quæ & noſtra, non tamen ita facta eſt in vtero, ſicut noſtra: Eſt enim ſanctificata in vtero & nata ſine peccato, nec ipſe in illa vnquam peccauit. In pœna ergo eſt ſimilis carni noſtræ, non autem in qualitate peccati, quia pollutionem, quæ ex concupiſcentiæ motu eſt, omninò non habuit, nec ex carnali delectatione concepta fuit. Hæc Magiſter ſententiarum.

Auctoritates B. Auguſtini aſſerentes B. Virginem originale peccatum contraxiſſe.

Et in primis ſuper Pſal. 34. concione ſecunda ſic dixit. Adam mortuus eſt propter peccatum: Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Caro autem Domini ex Maria mortua eſt propter delenda

peccata. Item lib. hipognoſticon contra primam blaſphemiam Pelagij. Chriſtus, inquit Apoſtolus, de peccato damnauit peccatum in carne, quia de humana videlicet carne peccatrice carnem abſque culpa ſuſcipiens, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum, quod nos damnauerat per inobedientiam Adæ, pro nobis patiendo damnauit. Item in 2. de baptiſmo paruul. cap. 20. & 24. Non eſt in filijs hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo vnquam peccato fuerit obſtrictus, aut ad iuſtitiam non ex peccato peruenerit, excepto vno mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitijs reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiàm homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati: quod enim inde ſuſcepit, illud profecto ſuſcipiendo mūdauit. Vnde Hugo de S. Victore prædictam auctoritatem exponens in libro ſententiarum ſuarum ſic dicit. Caro Chriſti prius fuit in Ma-

ria originali obligata peccato, ſicut Auguſtinus ait, ſed operatione Spiritusſancti antequàm à Dei Verbo aſſumeretur, fuit à peccato mũdata Item idem Auguſtinus in 10. ſup. Gen. ad lit. cap. 18. dicit. Quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro, etſi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit, vt ne ipſum quidem corpus Chriſti ea lex ſeuerit, quę in membris poſita corporis repugnat legi mentis. Item idem vbi ſuprà. Proinde corpus Chriſti, quamuis ex carne fœminæ aſſumptum ſit, quę de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat: tamẽ, quia non ſic in ea cõceptũ fuit, quomodo fuerat illa concepta, ideò ipſum non fuit caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati. Item vbi ſuprà cap. 20. Cùm, inquit, ſit in ſemine & viſibilis corpulentia & inuiſibilis ratio vtrumque currit ex Adã vſque ad corpus Marię, quia & ipſum eodem modo conceptum eſt & exortum eſt. Chtiſtus autem viſibi-

lem carnis corpulentiam de Maria Virgine aſſumpſit: ratio verò conceptionis non à ſemine virili ſed lõgè aliter ac deſuper aduenit &c. Vulnus præuaricationis Adæ per omnẽ carnẽ ab ipſo ſeminali ratione propagatam transfunditur. Hæc ille. Ex quo arguitur ſic. Peccatum Adę transfunditur in omnem carnem ab ipſo ſeminali ratione propagatã, vt dicit ſecunda pars auctoritatis: ſed B. Virgo fuit caro ab Adam ſeminali ratione propagata, vt dicit prima pars auctoritatis Auguſtini. Igitur in B. Virgine fuit peccatum Adę transfuſum.

Auctoritates B. Ambroſi Archiep. Mediolanenſis B. Virginem aliquando fuiſſe ſub peccato affirmantes.

Nam in lib. ſuper Beati immaculati ſic dicit octonar. 6. ad illum verſum, Et ne auferas ex ore meo &c. Nemo hominum ſine peccato fuit, niſi ſolus Dominus Ieſus, quem non cognoſcentem peccatũ, ſacrificium

fecit pro nobis Pater. Venit enim Dominus Ieſus & in carne peccato (in matre) obnoxia militiam virtutis exercuit. Item idem ſuper Epiſtolam ad Rom. 8. Miſit, inquit Apoſtolus, Deus Filium ſuum in ſimilitudinẽ carnis peccati, quia cùm eadem ſit caro Chriſti ſcundùm ſubſtantiam, ſicut caro noſtra; non tamen ita facta eſt in vtero ſicut caro noſtra: Eſt enim ſanctificata & nata in vtero ſine peccato; & etiàm in illa nunquam peccauit: ideò enim virginalis vterus electus eſt ad conceptum Dominicum, vt in ſanctitate differret caro Dominica à carne noſtra. Propterea ergo ſimilẽ dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis non eandẽ habuit natiuitatem, quia peccato ſubjectum non fuit corpus Domini. Expiata eſt ergo caro Domini à Spiritu Sancto in virgine, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit corpus Adæ ante peccatum. Item idem ſuper Iſaïam, vt allegatur ab Auguſtino in 1. contra Iulianum cap. 4. & in 1. de nupt. & concup.

cap. 35. Omnis inquit homo mendax, & nemo ſine peccato, niſi vnus ſolus Deus. Seruatum eſt igitur vt ex viro & muliere per illam corporum mixtionem nemo conceptus expers ſit delicti; qui autem expers eſt delicti, expers eſt & huiuſmodi conceptionis. Item idem in lib. de Arca Noé, vt allegat Auguſt. 2. cont. Iulianum, Per vnum, inquit, Dominum Ieſum ſalus ventura credentibus declaratur, qui ſolus potuit iuſtus in conceptione eſſe; cùm omnis generatio hominum erraret, niſi natus ex virgine generationis obnoxię vinculo minimè teneretur. Item in eodem ſic ait Auguſtinus, B. Ambroſius ſolum Chriſtum, eo quod natus ſit ex virgine à vinculis obnoxię generationis excepit, cæteris omnibus ex Adam ſub peccati obligatione naſcentibus. Item idem Ambroſ. contra Nouatianos, ſiue de penitentia, & allegatnr ab Auguſtino lib. 2. contra Iulian. cap. 3. Omnes, inquit, homines ſub peccato naſcimur, & ipſe noſter ortus in vi-

tio eſt dicente Dauid. Ecce enim in iniquitatibus &c. Chriſti autem caro damnauit peccatum, quod naſcendo in ſe non ſenſit, quod moriendo in alijs crucifixit, vt in carne noſtra eſſet iuſtificatio per gratiam, vbi erat ante colluuio per culpam. Idē Ambroſ. in ſer. Purif. B. Virginis Talis, inquit, erat à primis ducta genitoribus cauſa mortalium, vt originali peccato tranſeunte per poſteros, nullus pænam damnationis euaderet, niſi Verbum caro fieri dignaretur. Vt autem repararet omniū vitam, ſuſcepit omnium cauſam, & vim veteris chyrographi, quod ſolus inter omnes nō debuit, pro omnibus ſoluendo euacuauit. Hęc Ambroſius Sanctus.

Auctoritates B. Hieronymi de Saluatoris ſingulari prærogatiua.

Super illud Pſal. Erue à framea, ſic dicit. Vnica eſt anima Chriſti, quæ ſola ſine peccato fuit. Item in Epiſtola ad Theophilum de lib.

arbit. De Chriſto, inquit, ſcriptũ eſt quaſi proprium, & peccatum non fecit: ſi autem hoc mihi, vel alteri commune eſt cum Chriſto, quid ille habebit proprium? Item idem in 2. lib. contra Pelagium hęreticum, Iuſtos, inquit, homines poſſe eſſe concedo, ſine autem omni peccato neminem poſſe eſſe affirmo: eſſe enim abſque omni peccato ſoli Chriſto competit, omniſque humana creatura peccato ſubiacet, & indiget Dei gratia. Item idem in Epiſtola ad Laurentium Epiſcopum. Chriſtus, inquit, torcular calcauit ſolus, quia ipſe ſolus eſt, qui peccatum non habuit, & per ſuam miſericordiam peccatum mundi abſtulit Item idem contra Heluidium. Peccauimus, inquit, omnes & nemo eſt mundus à peccato niſi Chriſtus, qui peccatũ nullum habuit. Hæc Hieronimus.

Sancti Gregorij auctoritates.

Sanctus Gregorius Papa ij. Moral. cap. 28. ſic dicit. Solus enim Chri-

ſtus in carne ſua verè mundus extitit, qui huc per carnalem delectationẽ non venit. Item idem in 9. Moral. c. 17. alias 21. Dei, iniquit, Filius per incarnationem Redemptor humani generis factus ſolus iuſtus in hominibus apparuit & ad pænam culpæ ſine culpa peruenit. Item 18. lib. c. 35. alias 27. Nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti concipimur; quia naturę corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Propheta dicamus, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt natus, qui, vt ipſam naturę corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulę non eſt conceptus. Item idem ſup. Ezechielem homil. 8. Quid, inquit, lũborum nomine niſi propago mortalitatis exprimitur? De lumbis enim Abrahę Virgo Maria exijt, in cuius vtero vnigenitus Patris per Spiritũ ſanctum incarnari eſt dignatus. Hęc Gregorius. Nota quod per propagationem

gationē mortalitatis intelligit Gregorius originale peccatum. Vnde in 25. moral. c. 2. ſic dicit. Quia de mortalitatis propagine naſcimur, radicis amaritudinem quaſi in virgulto tenemus. Et Auguſtinus ſup. Ioan. tract. 4. Omnes ex illa traduce veniunt, & ea illa propagine, de qua cantat gemens Dauid, Ego in iniquitate conceptus ſum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit. Solus ergo ille agnus, qui non ſic venit: non enim in inquitate conceptus eſt, quia non de mortalitate conceptus eſt. Chriſtus ergo non eſt in iniquitate conceptus quia non de mortalitatis propagine venit. Et contra Fauſtum. lib. 4. cap. 5. caro inquit, Chriſti, non erat caro peccati, quia non de traduce mortalitatis ex Maria per maſculum venit. Et ſerm. 14. de verbis Apoſtoli. Miſit Deus filium ſuum non in carne peccati, ſed ſicut proſequitur, qui ſcripſit, in ſimilitudinem carnis peccati: quia non de complexu maritali, ſed de vtero virginali. Hæc

ille. Ex quibus patet quod ratio, quare aliquis concipitur in peccato originali, eſt, quia venit ex propagine mortalitatis. Cùm igitur ſecundum Gregorium B. Virgo ex propagine mortalitatis venerit, in peccato originali concepta fuit.

Dicta quorundam Sanctorum, qui tenent B. Virginem fuiſſe conceptam in originali peccato, quos recitat Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum.

Et in primis Sanctus Irenęus Lugdunenſis Epiſcopus in libro cõtra hęreſes ſic dicit, vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum cap. 3. & 5. Peccato prótoplaſti adſtrictũ eſt morti genus humanum, & plaga ſerpẽtis omnes homines ſunt vulnerati, ſed per fidem Chriſti, qui in ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra & omnia traxit ad ſe, & viuificauit mortuos, & ab antiqua plaga ſerpentis ſanamur in carne peccati.

Sanctus Cyprianus in Epiſt. de

baptizandis paruulis ſic dicit. Paruulus ab Adam carnaliter propagatus, contagium mortis antiquę prima natiuitate contraxit.

Sanctus Olympius Hiſpanus Epiſcopus in quodam ſerm. dicit. Vitium tranſgreſſionis protoplaſti eſt adeò in germine ſparſum, vt peccatum cum homine naſceretur.

Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus in lib. cont. Nouatianos ſic dixit, vt refert. Aug. loco. citato cap. 5. Quia ſicut in Adam omnes mortui ſumus, ita & in Chriſto omnes viuificamur. Venerare igitur natiuitatem Chriſti, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberamur. Per hunc primæ natiuitatis macula purgamur, per quã in iniquitatibus concipimur & in peccatis genuerũt nos matres noſtræ.

Sanctus Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus in ſermone de iejunio ſic dicit. Nos ægritudinem peccati contraximus, quoniam Eua à ligno prohibito ieiunare noluit, & propter hoc medico indigemus, qui non eſt

opus ſanis, ſed ægrotantibus.

Sanctus Ioan. Chryſoſtomus in homil. ad Olympiam ſic dicit. Quoniam Adam peccauit illud graue peccatum, omne genus humanum ab ipſo ſeminaliter propagatum in commune damnauit, propter quod & eos, qui immortales eſſe poterant, fecit eſſe mortales. Item idem ſuper Matth. Quamuis, inquit, Chriſtus non eſſet peccator, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit. Item idem ſup. Ioan. Admiranda eſt certè Chriſti ſingularis excellentia, quia nullus hominum veraciter dicere potuit quis ex vobis arguet me de peccato? niſi ſolus ipſe, qui peccatum non fecit.

Sanctus Hilarius Pictauienſis Epiſcopus in lib. de Trinitate ſic dicit. Omnis caro, excepta illa, quæ ſine peccato venit in ſimilitudinem carnis peccati, ſub peccati origine & ſub peccati lege nata eſt. Poſtquàm igitur Auguſtinus adduxit dicta prędictorum Sanctorum ſtatim ſubjungit in 1. & 2. cont. ipſum Iu-

lianum dicens ſic. Vna eſt omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credunt, vno ore fatentur, & veſtras nouitias præſumptiones Catholica antiquitate ſubuertunt; propter quam Catholicam veritatem Sancti ac Beatiſſimi Sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Retitius, Olympius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius, quibus, velis nolis, addo Hieronymum Preſbyterum, vt eos omittam, qui nondum dormierunt, aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſſione ſententiam. Vnde nemo excipitur, niſi ſolus ille, quem ſine lege peccati virgo concepit. Hæc Auguſtinus.

Aliorum Sanctorum auctoritates.

Sanctus Euſebius Epiſcopus Emiſſenus in ſer. Nat. Dom. qui ſic incipit. Noſtis, loquens ad B. Vir-

ginem ſic dicit. Initiator omnium rerum abs te initiatur,& ſanguinem pro mundi vita fundendum de corpore tuo accepit, ac de te aſſumpſit, vnde etiam pro te ſoluat. A peccati enim originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiam ipſa genitrix Redemptoris. Solus enim Chriſtus, licet de debitrice naſcatur,legis veteris debito non tenetur. Hæc ille. Alij legunt, nullus per ſe immunis extitit.

Sanctus Athanaſius Epiſcopus Alexandr. ſup. Luc. ſic dicit. Chriſtus enim ſingulariter Sanctus erat, & in hoc ab alijs Sanctis in Sanctitate diſſimilis, quia Sanctitatem ſimul cum natura ſuſcepit. Hæc ille.

Origenes ſup. Ioan. ſic dicit. Habet homo Chriſtus Ieſus in humano genere magnã fiduciam, cum nullus hominum veraciter dicere poſſit, quis ex vobis arguet me de peccato, niſi Dominus noſter, qui peccatum nullum habuit. Item idem ſup. Leuit homil. 7. Omnis, inquit, qui ingreditur hunc mundum, ex

hoc ipſo, quod in vulua matris poſitus materiam corporis ab origine paterni ſeminis ſumit, in patre &c. matre contaminatus dici poteſt, quia nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. Omnis ergo homo in patre & matre pollutus eſt. Solus autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus in hanc generationem mundus ingreſſus eſt, quia ipſe ſolus peccatū neſciuit. Hæc ille

Ioannes Caſſianus in collatione penultima Abb. Theonæ cap. 11. & 12. ſic dicit, Quomodo illud accipietur, quod cum Apoſtolus in ſimilitudinem carnis peccati veniſſe commemorat, ſi etiam nos nulla peccati labe pollutam habere poſſumus carnem? Nam & hoc de illo, qui ſolus eſt abſque peccato tanquā ſingulare memoratur. Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, quia videlicet veram carnē ſuſcipiens non ipſum peccatum in ea, ſed ſimilitudinem peccati ſuſcepiſſe credendus eſt. In hoc igitur ille homo, qui natus eſt ex virgine

magna à cunctis, qui ex vtriuſque ſexus commixtione producuntur, diſtantia ſegregatur, quia cùm nos omnes non ſimilitudinem ſed veritatem peccati in carne geſtemus, ille non veritatem, ſed ſimilitudinem peccati in veræ carnis aſſumptione ſuſcepit.

Beatus Remigius Archiepiſcopus Rhemẽſis ſuper pſal. Deus Deus meus reſpice in me, ſic dicit. B. V. Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita vt ex ea conciperetur ſine peccato homo Chriſtus Ieſus. Sicut enim peccatum originale ad nos venit ſtatim in ipſa conceptione, ita & in principio cõceptionis diuinitas verbi eſt vnita homini illi, per quod mũdus ab omni peccato conceptus eſt. Hæc ille.

Beatus Maximus Epiſcopus in ſerm. Aſſumptionis B. Virgini ſic dicit. B. Virgo glorioſa fuit in vtero matris ſanctificata & ab omni cõtagione originalis culpæ, antequam naſceretur, per Spiritum ſanctum mundata.

Beatus ac venerabilis Beda preſ-

biter Monachus in homil. Octauæ Epiphaniæ dicit.

Ecce, inquit, agnus Dei, quaſi dicat, ecce agnus innocēs & ab omni peccato immunis, vtpote qui de carne peccatrice nullam traxit maculam culpæ. Item idem ſuper Lucā Nos, inquit, etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti concipimur; quia naturæ corruptibilis conditione cōſtringimur, vt cum propheta gemētes ſinguli dicamus, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c. Ille ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Item idē in homilia ſuper miſſus eſt, & ponitur in gloſ. ordinaria dicit, Spiritus ſanctus ſuperueniens in Virginem mentem eius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, & ab omni æſtu carnalis concupiſcentiæ cor eius temperauit atque mundauit.

Beatus Cæſarius Epiſcopus Arelatēſis in quodam ſermone ſic dicit, Illud ſcire & intelligere debemus, quod ante aduentum ſaluatoris no-

ſtri Diabolus regnabat in mundo, & omnes peccatores & iuſti exeuntes de corpore in infernum deſcendebāt propter originale peccatum, quod omnes de Adam trahimus: Sed quia vidit Deus, quod totus mundus perierat, miſertus eſt generi humano, & miſit Filium ſuū natum ex muliere, factū ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, & immaculato ſanguine ſuo nos à peccato liberaret.

Beatus Iſidorus Epiſcopus Hiſpal. in 1. lib. ſententiarum ſuarum c. 10 & 14. ſic dicit. Ex primo enim homine eſt in omnes filios eius culpa propagata; ſicut enim ex prima præuaricatione per illum mors ita & peccatum in omnes homines originaliter tranſijt. Et poſt pauca, Chriſtus, inquit, in forma ſerui Dominus eſt omnium hominum propter ſuæ conceptionis excellentiam, quia etſi ſuſcepit carnem, non tamen ex carnis libidinoſa contagione. Dum enim iaceremus omnes ſub reatu culpæ venit medicus &.

vulnus noſtrum patefecit atque curauit. Item idem in quodam ſer. Natiuit. Domini, Quia, inquit, primus parens cecidit & in omnem poſteritatem ſuam peccati radicem transfudit, ideo Dei filius aſſumpſit humanam naturam ſine peccato, ſuſcipiens, quod non erat, vt liberaret, quod fecerat.

Beatus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis in lib. cur Deus homo ſic dicit lib. 2. c. 16. Nam licet ipſa Chriſti conceptio munda ſit & abſque carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipſa vnde aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater eius. Item idē in eodem, Virgo, inquit, illa, de qua homo ille aſſumptus eſt, de illis eſt, qui ante natiuitatem eius per eum mundati ſunt à peccatis, & ipſa ſic mundata de illa aſſumptus eſt. Item idem in ſuis meditationibus loquens ad Deum. Animam, inquit, glorioſæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creaſti, ſed

conſequenter eam á primaria labe purgaſti, & amictu munditiæ decoraſti & in ſanctitatis puritate poſteá confirmaſti. Idem Anſelmus 2. lib. cur Deus homo c.16. Omnes inquit, homines ex Adam propagati peccauerunt, excepto Chriſto, qui ſolus innocens fuit & nos á peccato redemit. Item in eod. cap. 17. Peccatum, inquit, originale á primis parentibus in omnes homines præter Chriſtū transfunditur. Item idē Anſelmus de conceptu virginali c. 2. Solus Virginis Filius ſine peccato natus eſt in vtero matris. Item in eod. cap. 19. Nullus inquit ab Adā naturaliter naſci poteſt ſine peccato, ad quod ſequitur damnatio. Quia omnes Filios Adæ excepto Virginis Filio peccatores & filios iræ Apoſtolus in ſuis ſcriptis pronunciat. Item in eod. c. 13. licet, inquit Chriſtus carnem dę maſſa peccatrice aſſumpſerit, nihil tamen de peccato maſſæ peccatricis accepit. Item ibidem c. 14. Quamuis, inquit, Ioannes Baptiſta & alij qui de ſterilibus parentibus

parẽtibus, & in quibus præ ſenectute natura generãdi iam erat emortua, per miraculum ſint concepti; quia tamen per naturalem propagationẽ datam Adæ ſunt ſeminaliter generati, nequaquam poſſunt aut debent Chriſto in conceptionis miraculo aſſimilari, aut ab originalis peccati vinculo abſoluti poſſunt oſtendi. Item idem cap. 17. Decebat, vt illius hominis conceptio de matre puriſſima fieret, nẽpe decens erat, vt ea puritate niteret, quâ maior ſub Deo nequit intelligi. Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante Chriſti conceptionem mundata ſit, dixi vbi aliam rationem de eo, de quo hic agitur, reddidi. Hæc Anſel.

Sanctus Bernardus abbas in Epiſt. ad Lugdunenſes dicit ſic, Si Beata Virgo ante cõceptũ minimè ſanctificari potuit, quoniam non erat; ſed nec in ipſo conceptu propter peccatum, quod inerat; reſtat, vt poſt conceptum in vtero iam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctã fecerit

natiuitatem, non autem conceptionem. Quamobrē etſi quibuſdam vel paucis filiorum hominum datum ſit cum ſanctitate naſci, nulli tamen donatum eſt cum ſanctitate concipi, vt vni ſoli ſancti ſeruaretur prærogatiua conceptus, qui omnes ſanctificaret, ſoluſque abſque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus eſt de Spiritu Sancto conceptus, qui ſolus & in conceptione Sanctus, quo excepto de cętero vniuerſos ex Adam natos reſpicit, quod vnus humiliter confitetur dicens. Ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum &c. Cùm hæc ita ſe habeant quænam erit ratio feſtiuæ conceptionis? Quo pacto, inquam, aut ſanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non eſt, ne dicam, qui de peccato eſt; aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? Libenter virgo regia hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur ſanctitas. Item in ſer. Aſſumptionis B. Virginis. Quod ſi

originalem, inquit, B. Virgo à parentibus maculam traxit: ſed minus à Hieremia ſanctificatam in vtero, aut à Ioanne Spiritu ſancto repletam credere, prohibet pietas Chriſtiana. Hęc enim naſcens feſtis laudibus honoratur. Poſtremò omnimodis conſtat ab originali peccato ſolâ Dei gratiâ, priuſquã naſceretur, fuiſſe mundatam. Item idem Bernardus in alio ſer. aſſumtionis, B. inquit, virgo hac ſingulari prærogatiua in concipiẽdo refulget, qui Filium non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſuperueniente Spiritu Sancto ſola de ſanctificatione concepit. Item in ſermone de S. Ioanne Baptiſta. Quicumque de maſſa præuaricatrice mundum ingredimur, peſtem originalis peccati nobiſcum trahimus: ſolus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem virginalis vteri thalamus ignorantis virum terris effudit. Hæc Sanctus Bernardus Abbas.

B. Hildephonſus Epiſcopus To-

letanus in lib. de virginitate B. Mariæ ſic dicit. Beata Maria, licet ipſa de carne peccati ſit nata & procreata, ipſaque quamuis caro peccati fuerit: non tunc iam ex præueniente, ab Angelo prę omnibus mulieribus benedicta vocatur, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Alioquin, ſi non eodem Spiritu ſanctificata eſt & emundata, quomodo eius caro (in Chriſto) non caro peccati fuit? Et ſi caro eius de maſſa præuaricationis venit, quomodo Chriſtus Verbum caro ſine peccato fuit, qui de carne peccati carnem aſſumpſit, niſi quia Verbum, quod caro factum eſt, eam primùm obumbrauit, in quam Spiritus ſuperuenit, & virtus altiſſimi totam eam poſſedit. Sancta Virgo, niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minimè eius natiuitas colenda eſſet. Nunc autem, quia auctoritate totius Eccleſiæ celebratur, conſtat illam (ſcilicet natiuitatem) ab omni originali peccato immunem eſſe. Nullis ergo poſt-

quàm nata eſt B. Virgo delictis ſubjacuit, nec originale peccatum iam in vtero ſanctificata naſcendo contraxit, id eſt ſecum traxit. Hęc ille, licet aduerſarij allegent eum pro ſe, qui tamen eſt contra ipſos.

Pontifices Romani affirmantes B. Virginem in originali peccato conceptam fuiſſe.

Beatus Innocentius primus, qui in Concilio Numidię celebrato cōdemnauit Pelagiū & Celeſtium negantes originale peccatum in Epiſt. ſic dicit, vt Auguſtinus dicit in 1. & 2. contra Iulienum. Omnes homines ab Adam carnaliter generati trahunt originale peccatum, à quo, niſi per Chriſti gratiam purgentur atque liberentur, damnationē conſequuntur æternam. Non enim imago Dei in paruulis tam graui ſupplicio puniretur, vt vitâ priuarentur, niſi à parentibus originale peccatum traherent: Nemo enim excipitur, niſi ille, quem ſine lege pec-

cati virgo concepit.

Idem tenet B. Zozimus Papa, qui ſucceſſit Innocentio & damnauit etiam Pelagium in quadam Epiſtola directa ad quoddam Concilium in Affrica celebratum, vt recitat Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum de origine animę. Sumus, inquit, Chriſti ſanguine liberati. Nullus enim, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuit ante captiuus, ſicut ſcriptũ eſt, ſi Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Per ipſum renaſcimur ſpiritualiter; Per ipſum mundo crucifigimur. Ipſius morte mortuis ab Adam omnibus nobis introductæ atque tranſmiſſæ vniuerſæ animæ illud propagine contractum chyrographum rumpitur. Nec vllus omnino natorum eſt, qui antequàm per Chriſti gratiam liberetur peccato non teneatur obnoxius. Subjungit ſtatim Auguſtinus, In his verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua atque fundata, certa, & clara eſt

Catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano. Sola igitur Chriſti morte non vnius aut aliquarum, ſed vniuerſæ animæ illud propagine cõtractum mortis chyrographum rumpendum eſt.

Idem Bonifacius primus tenet in Cõcilio Mileuitano eius auctoritate celebrato, cui interfuit Auguſtinus, & quidã Anſelmus Eccleſiæ Rom. legatus, vt habetur de cõſecr. d. 4. c. placuit. Placuit omnibus Epiſcopus, qui fuerunt in hac ſancta Synodo conſtituere ea, quæ in preſente Cõcilio definita ſunt: Primum eſt, vt quicumque dixerit primum hominẽ Adam ita mortalem creatũ, vt ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moreretur hoc eſt de corpore exiret nõ merito peccati, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. Mortem enim dicimus pœnam fuiſſe peccati. Placuit etiam vt quicumque dicit paruulos nihil ab Adam trahere originalis peccati, Anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus, per vnum ho-

minem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertrāſijt, in quo omnes peccauerūt, niſi quemadmodum Eccleſia vbique diffuſa ſemper intellexit: per hanc enim regulam fidei etiā parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod carnali generatione traxerunt. Quiſquis enim ex concupiſcentia generatur regenerari ſpiritualiter habet opus, vt non ſolum ad regnum Dei perducatur; ſed etiam vt à peccati damnatione mundetur ac liberetur.

Item tenet B. Innocentius Papa ſecundus, qui fuit tempore B. Bernardi in ſerm. Aſſumptionis B. Virginis, ſic dicens, Eua ſiquidem fuit ſine culpa producta, ſed filios produxit in culpa. Virgo aut glorioſa fuit quidem in culpa producta: ſed filiū ſine culpa produxit.

Idem tenet Beatus Innocentius Papa tertius in ſermone Purifica-

tionis Beatæ Virginis, ſic dicens, Spiritus enim Sanctus priùs quidem in virginē venerat, quando in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit: ſed poſtea ſuperuenit in eam, vt carnem eius à fomite peccati liberaret, quatenus eſſet ſine ruga prorſus & macula. Et nota, quòd iſte fuit vita & ſapientia clariſſimus: compoſuit enim multas decretales, & multa opera edidit.

Idem tenet B. Honorius tertius, qui confirmauit Ordinem Prædicatorum, & poſtea Minorum, in ſermone Purificationis exponens illud Pſalm. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus, Hoc, inquit, tabernaculum, id eſt B. Virginem Altiſſimus ſanctificauit, quia eam in vtero matris ab originali peccato mundauit. Hanc enim habuit B. Virgo prærogatiuam, quòd non ſolùm fuit à peccato mundata, ſed etiam fuit poſtmodum in conceptione filij à fomite peccati liberata: ita quòd poſteà peccare non potuit. Item idem in ſer. Aſſumptionis, A.

macula, inquit, peccati originalis, quod anima contrahit in vnione ad carnẽ ſeminaliter propagatam quidam ex ſpeciali priuilegio in vteris matrum fuerunt mundati ante natiuitatem, vt Ieremias, Ioa. Baptiſta & B. Virgo: licet de ipſa non habeatur expreſſum.

Idem Clemens V. in Concilio Viẽnenſi, vt habetur in Clementina de ſum. Trinit. & fid. cath. vbi dicit, In aſſumpta natura Dei Verbũ pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi Cruci, ſed in ea mori voluit.

Idem tenet B. Innocentius Papa V. in 3. ſent. diſt. 3. q. 1. a. 1. ſic dicens. B. Virgo fuit in vtero matris ſanctificata non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat: Nec etiam in ipſa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxiſſet, & ſic non eguiſſet vniuerſali Chriſti redemptione, quod non eſt dicendum, ſed piè credendũ, quòd citò poſt animationem, vel ipſa die vel hora: non tamen ipſo

momento á peccato fuerit per gratiam mundata & ſanctificata. Item ad 2. argumentum, Puritas, inquit, B. Virginis fuit ſub Chriſto Deo. Si autem peccatum originale non contraxiſſet, fuiſſet æqualis puritatis cum Chriſto, quod non eſt dicendũ Item idem vbi ſup. q. 2. a. 1. Cùm, inquit, B. Virgo ſit media inter Sanctum ſanctorum, & omnes alios ſanctos, decuit, vt haberet medium gradum ſanctificationis. Cum ergo Chriſtus fuerit ſemper liber ab omni peccato, & reperiantur aliqui ſancti, qui ſemper fuerunt liberi à peccato mortali, non autem à peccato veniali & originali, decuit, vt Virgo habuerit quidem originale peccatum, ſed nunquam actuale peccatum commiſerit. Hæc ille.

Idem tenet B. Clemens Papa 6. vir eruditiſſimus in ſer. Erunt ſigna in ſole & luna, vbi ſic dicit, Videtur mihi, quòd de conceptione B. Virginis non debeat fieri feſtum 1. auctoritate Bernardi, qui in epiſtola ad Lugdunenſes grauiter reprehen-

dit eos, quia hoc feſtum celebrabãt 2. quia feſti celebratio non eſt, niſi in reuerentiam ſanctitatis eius, de quo celebratur: conceptio autem Virginis non fuit ſancta, quia fuit in originali peccato concepta, vt patet per multas auctoritates Sanctorum: ideò non eſt ſub feſtiuitate celebranda: dico enim hoc vnum eſſe verum & clarum, quòd B. Virgo contraxit in ſui conceptione originale peccatum. Cauſa autem & ratio eſt, quia fuit ex libidine per cõcubitum viri & mulieris cõcepta. Et ideò peccatum originale in ſui conceptione contraxit, quod non habuit filius, qui non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine conceptus eſt, & ideò non habere peccatum eſt ſolius Chriſti ſingulare priuilegium. Beata igitur Virgo fuit ſub peccato originali per modicam morulam; & ſtatim poſteà fuit ſanctificata. Hæc ille.

Idem tenet Bonifacius 3. in priuilegio viſitationis B Virginis, vbi ſic dicit, Benignitas conditoris humanam

manam creaturam collapſam fore primi parentis lapſu conſiderans, vt eam à mortis nexibus liberaret, voluit Verbum ſuum carnem noſtræ mortalitatis aſſumere, vt tandem mortem noſtram moriendo deſtrueret, & damnationis ſententiam ſimul & maculam, quam per reatum primi hominis vniuerſa generis humani poſteritas incurriſſe noſcebatur, clementi bonitate aboleret. Quapropter de ſtirpe Dauid elegit virginem, in cuius vtero myſtico ſpiramine Verbũ ipſum carnem ſuſciperet, locumque ad ſui conceptionem elegit in Nazareth, in quo ſumpſimus noſtræ redemptionis exordia; ibique primus dies noſtræ ſãctificationis illuxit, qui nobis de ſalute ſpẽ intulit.

Idem tenet Dominus Eugenius Papa I V. in Concil. Florentiæ celebrato, in quo ſedatum eſt ſchiſma, quod annis octingentis durauerat, quo videlicet tres generales nationes ab Eccleſiâ Romana præciſæ fuerant pluribus erroribus inuolutæ, videlicet Græcorum, Ari-

minorum, & Iacobinorum, quibus ſigillatim per ſacrum Concilium data ſunt certa decreta, quæ de neceſſitate ſalutis credere tenerentur: Inter decreta autem, quæ Iacobinis, qui ſub Patriarcha Alexandrino degunt, per ipſum Papam ſacro approbante Concilio tradita ſunt, iſtud tale habetur ſub hac forma; Firmiter credit, profitetur, & docet ſacroſancta Romana Eccleſia, neminem vnquam ex viro fœmináque conceptum à Diaboli dominatu fuiſſe liberatum, niſi per fidem mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti Domini noſtri; qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus humani generis peccata delendo ſolus ſua morte proſtrauit, & regni cæleſtis introitum, quod primus homo peccato proprio cum omni ſua ſucceſſione perdiderat, reſerauit. Hæc ille.

Dicta Doctorum peritiſſimorum in iure, qui tenent B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali.

Dominus Ioannes Theutonicus

antiquus gloſator decreti ſuper c. Pronunciandum de conſec. diſt. 3. ſic dicit, De feſto Conceptionis B. Virginis nihil hic dicitur, quia celebrandū non eſt, quia in originali peccato concepta eſt, ſicut & cæteri ſancti, excepta perſona Chriſti.

Idem tenet Bartholomæus Brixienſis ſuper eodem capitulo ſic dicens, Feſtum conceptionis B. Virginis celebrandum nō eſt, quia fuit in originali peccato concepta.

Idem tenet Dominus Hugo Epiſcopus Ferrarienſis ſuper cap. Firmiſſimè de conſecratione, diſt. 4. ſic dicens, Duæ ſunt natiuitates, videlicet in vtero, & extra vterum. In vtero naſci eſt animā in corpori infundi; naſci ex vtero eſt in lucē prodire. B. igitur Maria, & Ioannes Baptiſta, & Ieremias fuerunt cum originali peccato nati in vtero: vnde beatæ Mariæ conceptio non debet celebrari, quia in peccato concepta eſt: ſed poſtmodū fuit ſibi dimiſſum peccatum originale, & ſanctificata fuit in vtero: vnde na-

minorum, & Iacobinorum, quibus ſigillatim per ſacrum Concilium data ſunt certa decreta, quæ de neceſſitate ſalutis credere tenerentur: Inter decreta autem, quæ Iacobinis; qui ſub Patriarcha Alexandrino degunt, per ipſum Papam ſacro approbante Concilio tradita ſunt, iſtud tale habetur ſub hac forma; Firmiter credit, profitetur, & docet ſacroſancta Romana Eccleſia, neminem vnquam ex viro fœmináque conceptum à Diaboli dominatu fuiſſe liberatum, niſi per fidem mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti Domini noſtri; qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus humani generis peccata delendo ſolus ſua morte proſtrauit, & regni cæleſtis introitum, quod primus homo peccato proprio cum omni ſua ſucceſſione perdiderat, reſerauit. Hæc ille:

Dicta Doctorum peritiſſimorum in iure, qui tenent B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali.

Dominus Ioannes Theutonicus

antiquus gloſator decreti ſuper c. Pronunciandum de conſec. diſt. 3. ſic dicit, De feſto Conceptionis B. Virginis nihil hic dicitur, quia celebrandũ non eſt, quia in originali peccato concepta eſt, ſicut & cæteri ſancti, excepta perſona Chriſti.

Idem tenet Bartholomæus Brixienſis ſuper eodem capitulo ſic dicens, Feſtum conceptionis B. Virginis celebrandum nõn eſt, quia fuit in originali peccato concepta.

Idem tenet Dominus Hugo Epiſcopus Ferrarienſis ſuper cap. Firmiſſimè de cõſecratione, diſt. 4. ſic dicens, Duæ ſunt natiuitates, videlicet in vtero, & extra vterum. In vtero naſci eſt animam corpori infundi; naſci ex vtero eſt in lucẽ prodire. B. igitur Maria, & Ioannes Baptiſta, & Ieremias fuerunt cum originali peccato nati in vtero: vnde beatæ Mariæ conceptio non debet celebrari, quia in peccato concepta eſt: ſed poſtmodũ fuit ſibi dimiſſum peccatum originale, & ſanctificata fuit in vtero: vnde na-

tiuitas eius celebratur.

Idem tenet Dominus Laurentius antiquus gloſator ſuper c. Per baptiſmum de conſec. diſt. 4. ſic dicens, Natiuitas B. Virginis in vtero non celebratur, quia in peccato originali concepta fuit, ſed benè natiuitas eius ex vtero colitur. Idem dicit ſup. c. Pronunciandum de conſec. diſt. 3.

Idem tenet Dominus Bernardus Papienſis ſuper c. Pronunciandum ſic dicens, Conceptio B. Virginis non eſt celebranda, quia in peccato originali concepta fuit, ſicut cæteri, excepta vnica perſona Chriſti.

Idem tenet Dominus Magiſter Raymundus compilator decretaliũ pœnitentiarius Domini Gregorij IX in 1. ſuæ ſummæ libro. tit. de ferijs ſic dicens, Non enim fit hic mentio de feſto conceptionis B. Virginis, quia non debet celebrari, eo quod in peccato concepta fuit, ſicut ceteri homines, excepta vnica peſona Chriſti, quæ non ex virili ſemine, ſed miſtico ſpiramine concepta eſt.

Idem tenet Dominus Hoſtienſis Cardinalis in ſumma ſua tit. de pe. & re. §. quis debet confiteri, vbi dicit Sine peccato originali nullus conceptus eſt de ſemine viri & mulieris, quamuis aliqui ex vtero matris ſanctificati legantur, vt Ieremias. Ioãnes Baptiſta, & glorioſa V. Maria.

Idem tenet Dominus Gulielmus Duranti, in 2. parte ſpeculi tit. de feriis ſic dicens; Omnes feſtiuitates Virginis glorioſæ ſunt celebrandæ: non dico de feſto Conceptionis, quod celebrandum non eſt, quia concepta fuit in peccato originali, licet in multis locis ex deuotione celebretur, nec talem deuotionem improbo.

Idem tenet Ioannes Compilator ſummæ canonicæ quæ incipit, Qui iuſtè iudicat, ſuper c. Firmiſſimè ſic dicens; B. Virgo nata eſt in vtero matris cum peccato originali, quod tamen credimus ei poſtmodum fuiſſe dimiſſum: vnde eius conceptio non celebratur generaliter, ſed natiuitas.

Idem tenet auctor ſpeculi, quod dicitur ſumma ſummarum tit. de feriis quæſt.8. ſic dicens, Feſtum Conceptionis B. Virginis non eſt celebrandum, ſicut in multis regionibus fit, vt dicit gloſ. decreti diſt. 3. c. 1. & hoc ideò, quia in peccato concepta fuit. Et nota, quòd iſte non fuit Gulielmus, ſed alius cuius nomen ignoratur.

Idem tenet Auctor operis ſolemniſſimi ſuper toto Decreto, quod incipit, Ad decorem ſponſæ, ſic dicens ſup. cap. Pronunciandum, Feſtum conceptionis non eſt celebrandum, quia fuit concepta in peccato originali. Et ſuper caput Firmiſſimè. B. inquit, Virgo, & Ioannes Baptiſta fuerunt cum peccato originali nati in vtero: Vnde B. Mariæ conceptio non debet celebrari, ſed quia fuit in vtero ſanctificata, eius natiuitas celebratur.

Idem tenet Dominus Ioannes Andreæ Doctor Bononienſis clariſſimus in 2. parte nouellæ tit. de feriis ſuper c. Conqueſtus, ſic dicens, Qua-

tuor ſunt feſtiuitates Virginis Mariæ, videlicet Annunciatio in vere; Aſſumptio in æſtate, Natiuitas in Autumno; & Purificatio in hyeme: feſtum autem paſſiuæ conceptionis hic non includitur, licet in multis locis, celebretur ex deuotione non improbanda, vt dicitur in ſpec. eod. tit. Tu tamen dicas conceptionem illam, quæ fuit ex humano ſemine non eſſe venerandam. Et hoc eſt tenendum, quia fuit concepta in peccato originali; vt notatur de conſec. diſt. 3. c.p. Poſt conceptionem verò fuit immediatè ſanctificata, & ob hoc colit Eccleſia eius natiuitatem.

Idem tenet Dominus Ioannes de Calderinis Doctor Bononienſis ſuper cap. Conqueſtus extr. de feriis ſic dicens, Conceptio B. Virginis non eſt celebranda, quia fuit in originali peccato concepta, ſicut dicit B. Bernardus ad Lugdunenſes illos reprehendens, quia prædictum feſtum celebrabant.

Idem tenet Dominus Galuanæus Doctor Bononienſis ſup. c. Con-

queſtus ext. de feriis ſic dicens, Feſtum Conceptionis B. Virginis non eſt celebrandum: & hoc ideò, quia fuit in originali peccato concepta.

Idem tenet Dominus Petrus de Braco Doctor ſolemniſſimus in repertorio ſuo litera Conceptio, ſic dicens, Feſtum Conceptionis B. Mariæ non debet celebrari, vt not. de conſec. diſt. 3. c. 1. & diſt. 4. c. per bapt. & ratio eſt, quia ipſa fuit concepta in peccato originali, vt notat Guido de conſecr. diſt. 4. c. firmiſſimè.

Idem tenet Dominus Petrus Mediolanenſis in apparatu ſuo ſup. c. Firmiſſimè de conſec. d. 4. ſic dicens, B. Mariæ Conceptio non debet celebrari, quia fuit in peccato originali concepta, licet poſtea fuerit ſanctificata.

Idem tenet Dominus Gulielmus Metenſis in apparatu ſuper ſummã Raymundi tit. de ferijs, ſic dicens, Feſtum conceptionis non debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali. Quidam tamen dicũt,

quod feſtum iſtud Cōceptionis, potiùs eſt de Sanctificatione eius in vtero, quàm de eius carnali conceptione.

Idem tenet Dominus Ioannes Theutonicus Doctor præcipuus in ſumma confeſſorum li. p. ti. 12. c. Sic dicens, Feſtum conceptionis nō debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali.

Idem tenet Dominus Bartholomæus de Piſis, in ſumma ſua c. de ferijs dicens. Licet Eccleſia Romana toleret conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum feſtum Conceptionis B. Virginis celebrantium; nō tamen propter hoc datur intelligi, quòd in ſua conceptione fuerit Sancta, ſed quia ignoratur, quo tempore fuerit ſanctificata, ideò celebratur in die conceptionis potiùs feſtum ſanctificationis eius, quàm conceptionis.

Idem tenet Dominus Ioan. de Turrecremata. Hiſpanus Cardinalis S. Sixti, qui fuit à Papa Pio inſtitutus protector totius fidei. Hic in

opere glorioſiſſimo, quod edidit ſuper decretum de conſe. diſt. 4. c. Firmiſſimè ſic dicit. B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, tùm quia per ſeminalem propagationem ab Adam deſcendit, tùm quia indiguit redemtione facta per Chriſtum, tùm quia Auguſtinus, Euſebius, Leo, & Gregorius Papa, & Anſelmus & Bernardus hoc expreſsè dicunt; tum etiam quia quamplurimi & ferè omnes Doctores excellentiſſimi tam in Theologia quã in iure, quos nos collegimus vſque ad numerum centenarium hoc tenent, quorum ſententias & loca annotauimus in libro, quem fecimus de veritate Conceptionis in minoribus conſtituti Baſileæ, dum ibi celebraretur Concilium pro facienda relatione pro parte affirmatiua nobis per Patres Concilij commiſſa. Quam relationem licet nos obtulerimus faciendam in publica Congregatione, ſicut de hoc habitum fuit publicum inſtrumentum, eam tamen facere non potuimus,

quia quibuſdam Schiſmaticis, diſcordiæ patre Diabolo promouente, intentantibus in eodem Concilio plurima ſcandala, Dominis præſidentibus Sanctæ memorię Papę Eugenij recedentibus oportuit etiam & nos recedere; tum Superiorum meorum mandato, tum ne præſentia noſtra videretur fauere Concilijs impiorum, Hæc ille, Et nota, quòd Abbas Siculus, qui tunc erat Epiſcopus Panormitanus fuit principalis in hoc ſchiſmate & maximus perturbator pacis & vnitatis Eccleſiæ, ſtipendiatus à Rege Aragonum, cui Eugenius prohibuerat, ne terras Regni Apuliæ inuaderet, & quia Fratres Prædicatores illi conciliabulo adhærere noluerunt, cum Fælice Antipapa ſuo determinauit, B. Virginem non eſſe conceptam in peccato originali; ſed quia prædicta Congregatio, quæ ibi remanſit, ex quo Præſidentes Domini Papæ Eugenij receſſerunt, tanquam ſchiſmatica, ſacrilega, & hæretica fuit cum Synodo ſua condamnata & excommu-

nicata per eumdem Dominum Eugenium, ideò nihil per eos factum habet aliquid auctoritatis, vtpote per homines à Deo auerſos;& hoſtes Eccleſiæ ſanctæ Dei & fabricatores mendaciorum, ſicut dicit idem Dominus Ioannes de conſe. diſt. 3. Et ideò Abbati non eſt credendum in hac parte, quia fuit ſchiſmaticus & Eccleſiæ ſanctæ Dei inimicus, qui pro mercede ſuæ iniquitatis pileum ab infelice recepit.

Idem tenet Dominus Laurentius Calcaneus Brixienſis vtriuſque iuris doctor clariſſimus in quodam libello, quem de laudibus B. Virginis compoſuit ſic dicens; B. Maria contraxit originale peccatum de facto, nec ab eo fuit præſeruata, & hanc ſententiam tenent Doctores ſancti & omnes Theologi & Iuriſtę clariſſimi.

Auctoritates quorundam antiquorum & clariſſimorum Doctorum Theologorum de Conceptione B. Virginis qui affirmant eam conceptam fuiſſe in originali peccato.

In primis Magiſter Ioannes de Poliaco

liaco Doctor Pariſienſis in 3.quodlibeto queſt. 3. ſic dicit, Videtur mihi, quòd non poſſit ab aliquo pro opinione teneri, ſed potiùs pro hæreſi reputari, quòd B. Virgo non contraxerit originale peccatum, vel quòd fuerit ab originali peccato præſeruata, quia hoc eſt contra ſanctam ſcripturam; & contra dicta Sanctorum Doctorum, Auguſtini, Anſelmi, Bernardi & aliorum. Quòd ſi aliquis tantæ temeritatis eſſet, quòd præſumeret contra teſtimonia tantorum Doctorum, aſſerere B. Virginem non contraxiſſe originale peccatum, certè contra talem tanquam contra hæreticum non argumentis, ſed aliter videlicet cum igne eſſet procedendum. Hæc ille.

Dominus Guilielmus Altiſiodorenſis Epiſcopus in 3.lib.ſummæ ſuę ſic dicit, Quia B. Virgo Maria fuit in lumbis Abrahæ ſecundum rationem ſeminalem, & ab eo deſcendit per actum concupiſcentiæ, contraxit in ſui conceptione peccatum originale: & propter hoc Mauritius

Epiſcopus Pariſienſis prohibuit ne Feſtum Conceptionis ipſius Pariſius celebraretur.

Dominus Præpoſitiuus Doctor Pariſienſis antiquus in ſumma ſua c. de Sanctificatione Virginis ſic dicit, B. Virgo contraxit in ſui Conceptione originale peccatum, à quo fuit in vtero matris per ſanctificationem mundata.

Dominus Gulielmus antiquus Cancellarius Pariſienſis in ſumma ſua ſic dicit; Chriſtus enim ab initio ſuæ Conceptionis aſſumpſit corruptibilitatem pœnæ ſine culpa. Beata autem Virgo contraxit corruptibilitatem culpæ & pœnæ : ſed poſt ſanctificationis gratiam remanſit in ea tantum corruptibilitas pœnæ.

Magiſter Stephanus antiquus Poſtillator Doctor Pariſienſis ſuper Epiſtolam ad Romanos & ad Hebræos ſic dicit, Vnio animæ ad corpus poſt peccatum Adæ fieri non potuit ſine peccato originali, niſi in ſolo Chriſto. Per gratiam tamen ſanctificationis fuit à B. Virgine in

vtero matris culpa deleta, & poſteà corruptio fomitis totaliter extirpata.

Dominus Armachanus Epiſcopus Hiberniæ in 3. ſent. d. 3. ſic dicit, B. Virgo poſt animationem fuit à peccato originali per primam ſanctificationem in vtero mundata, ſed in Conceptione filij fuit fomes peccati ab ea totaliter extirpatus.

Magiſter Ricardus Radulphi de Hybernia Cancellarius vniuerſitatis Oxomenſis in 2. ſent. q. 7. art. 2. ſic dicit, B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & ab eo ante natiuitatē liberata, vt tenent Sancti; Nec hoc derogat eius dignitati, quia pariformiter derogaret eius dignitati, quòd fuerit concepta cum libidine parentum, quod nullus dicit.

Magiſter Garicus Pariſienſis ſuper Eccleſiaſtem capitulo 7. ſic dicit. B. Virgo & omnes alij, excepto Chriſto, fuerunt in originali peccato concepti: ideò dicitur virum ex millibus inueni vnū id eſt Chriſtū; de mulieribus autem nullam, quia nul-

la ſine peccato fuit.

Magiſter Adam Anglicus Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicit, Si credendum eſt dictis Sanctorum tenendum eſt, B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, & nullus Sanctorum inuenitur dixiſſe contrarium.

Magiſter Odo Gallicus Doctor antiquus in ſer. B. Virginis ſic dicit, Triplex natiuitas ab Eccleſia celebratur videlicet Ioan. Baptiſtæ, B. Virginis, & Saluatoris noſtri. Conceptio autem B. Virginis nec alterius ſancti, niſi ſolius Saluatoris celebratur, quoniam B. Virgo in Conceptione culpam, & pœnam traxit. Verumtamen fuit in vtero matris ſanctificata, ſed quando, ignoratur. Quòd verò poſteà potuerit peccare venialiter credimus. Sed vtrum peccauerit, neſcimus. Sed in Conceptione Saluatoris ita Spiritus Sanctus obumbrauit, vt poſteà peccare non poſſet.

Magiſter Godifredus Doctor Pariſienſis in quodlibeto 8. q. 8. ſic di-

cit, B. Virgo non fuit ſanctificata in eodem iuſtanti, in quo contraxit originale peccatum, nec in tempore immediatè ſequente illud inſtans, ſed vt communis opinio tenet habuit originale peccatũ per aliquod tempus modicum, & gratia ſuperueniente in vltimo iuſtanti illius temporis fuit ſanctificata.

Auctor libri qui dicitur Elucidarius ſcripturæ, in 1. lib. ſic dicit. Peccatum Adæ omne genus humanum in mortem pręcipitauit: Chriſtus autem ſolus ſine peccato mortem ſubijt, & omnibus prædeſtinatis cælum aperuit. Et modicum infra. Quamuis, inquit, Chriſtus de maſſa peccatrice carnem aſſumpſit, ſine peccato tamen conceptus eſt, quia ſine concupiſcentia eum Virgo concepit.

Magiſter Henricus de Gandauo Doctor Pariſienſis in 15. quolib. q. 13. ſic dicit, B. Virgo Maria loquendo de conceptione perfecta, quæ dicitur natiuitas in vtero, cõtraxit in primo inſtanti, quo fuit ſic cõcepta,

originale peccatum, licet rationabiliter teneri poteſt, quòd non niſi per inſtans in peccato originali ſteterit.

Magiſter Ioannes Albavilla Doctor Pariſienſis in ſer. Purific. B. Virginis ſic dicit, B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris per ſanctificationem mundata.

Magiſter Ioannes de Villa Abbatis in ſerm. Aſſumptionis B. Virginis ſic dicit, B. Virgo poſt ſui animationem fuit per gratiam ſanctificationis ab originali peccato mundata.

Beatus Ioannes Damaſcenus in ſecundo libro Sententiarum ſuarum ſic dicit, Spiritus Sanctus ſuperuenit in Virginem purgans ipſam & potentiam deitatis receptiuam tribuens ſimul & generatiuam. Hæc ille. Vnde Magiſter ſententiarum allegans prædictam auctoritatem ſtatim ſubjungit. Ex ijs perſpicuum fit, quòd ante diximus totam Virginem Spiritu Sancto conceptionē filij præueniente, ab omni peccati

labe fuiſſe caſtificatam. Idem Ioan. Damaſcenus in ſer. Aſſumptionis B. Virginis ſic dicit, Hanc Virginem Mariam Pater prædeſtinauit, virtus ſanctificatiua Spiritus ſancti obumbrauit, purgauit, & ſanctificauit, tu autem Dei Patris Verbum corpus & animam, ſine peccato ex ea aſſumpſiſti, & toti humano generi redemptionem conferens, factus mediator Dei & hominum inimicitiam diſſoluiſti, erroneum reuocaſti, obcæcatum illuminaſti, peccatiſque oppreſſum conſortem tuæ gloriæ reddidiſti.

B. Andræas Epiſcopus Hieroſolymitanus in quodam ſerm. Natiuitatis B. Virginis ſic dicit, Dei namque filius, vt humanam naturam propitius reformaret, carnem aſſumpſit ex Virgine eam purgans per Spiritum ſanctum à puluere peccati, in quo prius conculcabatur.

B. Petrus Tripolitanus qui Epiſtolas Pauli gloſauit ſuper Epiſtolam ad Rom. c. 5. ſic dicit, Adam poſt peccatum exul effectus, ſtirp

pem quoque ſuam, quam peccando, in ſe tanquam in radice vitiauerat pœna mortis & damnationis obſtrinxit, vt quicquid prolis ex illo, & ſimul damnata conjuge per carnalem concupiſcentiam naſceretur, traheret originale peccatum: ſed quia præter hoc vinculum carnalis concupiſcentiæ natus eſt Chriſtus ex Virgine, ideò non eſt ipſe in iniquitatibus conceptus, nec in delictis eum mater eius in vtero aluit. Solus enim ille infans innocens eſſe potuit, qui de opere Adam conceptus non fuit. Hæc ille. Et ſunt verba Auguſtini in Enchyr. & ſuper Pſal. Item idem ſuper eodem cap. Illud, inquit, vbi vel maximè fides Chriſtiana conſiſtit eſt, vt teneamus; quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes pertranſit, in quo omnes peccauerunt. Et ſi quæ alia teſtimonia declarant neminem naſci ex Adam, niſi vinculo delicti, & damnationis obſtrictum, neminemque inde liberari, niſi per Chriſtum, qui ſolus ſine peccato ve-

nit, tam inconcuſſe tenere debemus, vt ſciamus eum, qui hoc negauerit nullo modo ad Chriſti fidem pertinere. Hæc ille. Et ſunt verba Auguſtini ad Optatum de orig. animæ. Idem vbi ſup. c. 8. Miſit, inquit, Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & non in carne peccati. Cætera ergo omnis hominum caro eſt caro peccati: ſola illius non eſt caro peccati, quem mater non concupiſcentia, ſed gratia concepit. Et ſunt verba Auguſtini in lib. contra Iulianum. Idem ſuper Epiſtolam 2. ad Corinth. c. 5. Omnes, inquit, mortui ſunt in peccatis nemine prorſus excepto vel originalibus, vel etiam voluntate additis: & pro omnibus mortuis vnus mortuus eſt viuus, id eſt nullum habens omninò peccatum. Hæc ille.

Beatus Alcuinus, qui fuit Magiſter Caroli Magni in lib. ſententiarum ſuarum ſic dicit, Quamuis caro Chriſti traducta ſit ex carne Virginis, quæ per originale peccatum corrupta erat, non tamen Chri-

ſtus habuit originale peccatum, quia eius conceptus non fuit celebratus carnali concupiſcentia, ſed virtute Spiritus ſancti: Non enim dicitur peccatum originale contrahi; quoniam à carne peccato corrupta caro trahitur corrupta; ſic enim Chriſtus habuiſſet originale peccatum; ſed ideò dicitur aliquis originale peccatum trahere, quia eius propagatio libidinosè fit. Hæc ille.

Dominus Gulielmus Epiſcopus Eccleſiæ Mimatenſis in Rationali diuinorum officiorũ in 7. parte c. de Purificatione B. Virginis ſic dicit, Quidam faciunt Feſtum de conceptione B. Virginis dicentes, quòd ſicut celebratur de morte ſanctorum non propter mortem, ſed quia recepti ſunt in æternis nuptiis; ſic & de conceptione Virginis celebrari poteſt, non quia ſit concepta, quia in peccato concepta eſt, ſed quia concepta eſt mater Domini; aſſerentes hoc fuiſſe reuelatum cuidam Abbati in naufragio conſtituto; quod tamen authenticum non eſt: vnde

prædictum feſtum non eſt approbandum, quia concepta fuit in peccato originali. Verùmtamen licet in peccato originali concepta fuerit, illud peccatum fuit ei dimiſſum, quando fuit in vtero ſanctificata.

Dominus Robertus Mediolanenſis Epiſcopus in 2. lib. ſummæ ſuæ ſic dicit, B. Virgo Maria & Ioannes Baptiſta fuerunt in originali peccato concepti: ſed poſteà fuerunt per gratiam ſanctificati.

Dominus Ioannes Beleth Doctor antiquus in ſumma ſua de diuinis Officijs Rubrica de Aſſumptione B. Virginis, Feſtum, inquit, Conceptioni B. Virginis quidam aliquando celebrauerunt, & fortè adhuc celebrant: ſed non eſt authentica illa feſtiuitas, imò videtur & eſt prohibenda. Et hoc ideò, quia fuit in originali peccato concepta ſicut alij.

Dominus Sicardus Epiſcopus Cremonenſis in ſumma ſua de Officijs, quam appellauit Naturalē lib. 8. c. de Natiuit. Virginis, ſic dicit,

Conceptionem B. Virginis quidam aliquando celebrauerunt & forte adhuc celebrant ob reuelationem, quam dicunt fuiſſe cuidam Abbati in naufragio factam : ſed non eſt authentica, ideò talis feſtiuitas videtur prohibenda, quia fuit in originali peccato concepta.

Dominus Petrus Comeſtor Magiſter Hiſtoriarum in quodam ſer. B. Virginis, qui incipit primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, ſic dicit, Fuit enim B. Virgo cum culpa & pæna concepta, & ideò eius conceptio non eſt celebranda; ſed quia fuit in vtero ſanctificata & ab originali peccato mundata, ideò eius Natiuitas eſt celebranda. Superueniente autem in eã gratiâ Spiritus ſancti, ſic ab omni peccato fuit mundata, vt credamus fomitem peccati fuiſſe in illa penitùs extinctum. Quia tamen in ea remanſit pena culpæ propter hoc dicitur alleuiata, & non exonerata.

Dominus Gilbertus Porretanus Pictauorum Epiſcopus ſuper Boetiũ

de

de duab. naturis & vna perſona Chriſti, Nullus, inquit, vnquam per concupiſcentiam genitus ſine originali peccato eſſe potuit. Quia verò Chriſtus ex virgine ſine concupiſcentia genitus eſt, ideò nec originali reatu nec patiendi neceſſitate tenebatur. Item in eodem, Corpus, inquit, Chriſti ex Maria ſumptum eſt, quæ ſicut cæteri omnes ex primorum parentum preuaricatione peccato & morti ſubjacebat.

Dominus Linconienſis Epiſcopus ſup. Pſalmos circa principium ſic dicit, Plus cæteris B. Virgo reſplenduit in hac vita rectitudine à qua poſt conceptionem Ieſu Chriſti nec per veniale peccatum declinauit. Poſtquam enim tenebras peccati originalis abjecit, ſic arma lucis induta eſt, vt nulla parte peccati venialis nube ſit obſcurata: Chriſtus enim nunquàm retroceſſit, quia peccatum nullum habuit: B. quoque Virgo poſt conceptionem Chriſti nec ipſa veniali peccato aliquando retroceſſit, cùm cæteri Sancti tùm

ſeruorem charitatis remittendo, tùm venialiter peccando quandoque retrocedant.

Dominus Richardus de ſancto Victore, in tractatu ſuo ſuper illud Iſaiæ: Ecce virgo concipiet, dicit ſic: Conſtat profecto, quòd niſi B. Virgo ad plenum purgata fuiſſet, fructum tam ſublimem facere non potuiſſet. Quod diximus, dicamus apertiùs. Niſi ab omni vitiorum contagione purgata fuiſſet, Dei Filium non generaſſet.

Beatus Petrus Damiani Cardinalis in ſer. Natiuitatis B. Virginis ſic dicit, Peccauit primus homo Diabolo ſuadente, & tota humani generis arbor venenata eſt in radice. Cecidit infælix pater per gulam, & vniuerſa eius progenies rea facta eſt per naturam.

Dicta Doctorum clariſſimorum Ordinis Ciſtercienſis, qui dicunt B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam.

Dominus Annibaldus Doctor

Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicit, B. Maria non fuit ſanctificata ante infuſionem animæ nec in inſtanti infuſionis, quia tunc originale peccatum contraxit, aliter enim non fuiſſet redempta: ſed piè creditur, quòd citiſſimè poſt infuſionem animæ ſanctificata fuerit.

Idem tenet Dominus Ioannes Monachus Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, Beata enim Virgo, ex quo à peccato originali contracto fuit in vtero matris per ſanctificationem mundata, ab omni deinceps peccato immunis remãſit, vt dicit Auguſt. Doctor egregius.

Idem tenet Magiſter Ioannes de Ceruo in 3. ſent. diſt. 3. dicens, B. Virgo fuit in originali peccato concepta, & ab eodem, antequam naſceretur, per ſanctificationem mundata.

Idem tenet Magiſter Nicolaüs Gallicus in poſtillà ſup. Lucam c. 1. ſic dicens. Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem eam à fomite peccati liberauit, quam prius

in vtero matris ab originali peccato mundauerat.

Idem tenet Magiſter Guido de Arbona in ſer. Nat. B. Virginis ſic dicens, Licet B. Virgo fuerit in originali peccato concepta: fuit tamen ab eodem in vtero matris ante Natiuitatem purgata.

Idem tenet Magiſter Nicolaüs de Achora in ſer. Natiuit. B. Virginis ſic dicens, B. Virgo, licet originale peccatum habuerit, nunquam tamen actualiter peccauit.

Idem tenet Dominus Ioannes Radulfus eiuſdem Ordinis in lib. de vita Chriſti ſic dicens, B. Virgo fuit in originali peccato concepta, à quo ſingulari quodam priuilegio fuit in vtero matris purgata. Vnde dicit Auguſtinus, quod ante Conceptionem Filij ſanctificata fuit, & à peccato mundata.

Idem tenet Dominus Soccus in ſer. Nat. B. Virginis ſic dicens, B. Virgo, vt ſupremam puritatem conſequeretur, ter fuit purgata. Primò in vtero poſt animationē à peccato

originali. Secundò in conceptione filij Dei à fomite peccati. Tertiò in Aſſumptione à miſeria temporali.

Idem tenet Dominus Iacobus Anglicus eiuſdem Ordinis ſuper Cant. dicens, B. Virgo fuit in vtero matris à macula peccati originalis per ſanctificationem mundata: Et ideo fuit pulchra vt luna in Natiuitate. Fuit autem in conceptione filij à fomite peccati liberata: ideo fuit electa vt ſol in Annunciatione.

Idem tenet Dominus Ioannes eiuſdem Ordinis in lib. de laudibus B. Virginis ſic dicens, B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris purgata, vt tota munda naſceretur. Præcepit enim tunc Pater Spiritui ſancto illud Prouerb. 25. Aufer rubiginem, videlicet originalis peccati, de argento, id eſt de virgine iam concepta, & egredietur ex vtero vas puriſſimum.

Idem tenet Dominus Odo de Caſtro Rodulfi Epiſcopus Tuſculanus in 5. ſerm. Natiuit. Domini ſic dicens, B. Virgo fuit ante ſui nati-

uitatem à peccato originali per gratiam in vtero matris mundata, vt ex ea conciperetur Deus & homo ſine peccato. Idem dicit in ſer. 3. Dominicæ Aduentus.

Idem tenet Magiſter Petrus de Parma in ſerm. Natiu. B. Virginis & in ſerm. de Paſſione Domini.

Idem tenet Magiſter Marinus, in ſerm. Natiu. B. Virginis ſic dicens, Omnes mulieres dum concipiunt, non ſine peccato concipiunt. Sola autem B. Virgo filium ſine peccato concepit.

Dicta Doctorum ſacri Ordinis Fratrum Prædicatorum de materia Conceptionis Beatæ Virginis.

Sanctus Thomas de Aquino lumen totius Eccleſiæ, cuius doctrina eſt per Vrbanum Papam, & Innocentium, & Vniuerſitatem Pariſienſem approbata, in 3. ſent. diſt. 3. art. 1. ſic dicit. Virgo beata fuit in originali peccato concepta, propter quod ſcribit Beatus Bernardus conceptio-

nem ipſius non eſſe celebrandam. Et art. 2. B. Virgo per primam ſanctificationem, vt communiter ab omnibus tenetur, ab originali fuit mundata peccato, fomite eſſentialiter remanente ſed ligato, qui poſt ſecundam ſanctificationem fuit totaliter ſublatus. Item in 3. parte q.27. art.2. Sanctificatio, inquit, B. Virginis non poteſt intelligi ante animationem, nec in inſtanti animationis, ſed poſt animationem; aliter enim non incurriſſet maculam peccati originalis, & per conſequens non indiguiſſet redemptione & ſaluatione facta per Chriſtum, quod eſt inconueniens. Item in compendio Theologiæ. Oportuit, inquit, quòd B. Virgo cum peccato originali conciperetur, quia ex vtriuſque ſexus commixtione concepta fuit. Similiter quia ſi ſine peccato fuiſſet concepta, non indigeret per Chriſtum redimi, quòd derogat dignitati eius. Item in quolib: 6. q. 4. art. 1. Beata, inquit, Virgo fuit concepta cum peccato originali, quia fuit in Adam ſecun-

dum rationem ſeminalem & generata fuit ex commixtione ſexuum ſicut cæteri, & includitur in vniuerſali de qua dicit Apoſtolus, In quo omnes peccauerunt, à qua vniuerſitate ſolus Chriſtus excipitur, qui in Adam non fuit ſecundum ſeminalem rationem. Item ſuper ſalutatione Angelica, B. inquit, Virgo fuit in peccato originali concepta, ſed non nata, quia ab eo fuit in vtero matris mundata: Chriſtus in hoc exceſſit B. Virginem, quòd fuit ſine peccato conceptus.

Idem tenet ſanctus Vincentius eiuſdem Ordinis Prædicatorum in ſermone de Conceptione Virginis ſic dicens, B. Virgo Maria fuit in originali peccato concepta, ſed eadem die & hora ſtatim poſt animationem fuit per ſanctificationem à peccato contracto mundata. Et ideò feſtum hoc debet referri ad ſanctificationem & non ad conceptionem. Idem dicit in ſerm. Sanctæ Annæ & Natiuitatis B. Virginis.

Idem tenet ſancta Catharina de

Senis, quæ vt narrat B. Antoninus Archiepiſcopus in prima parte ſummæ tit. de peccato originali dixit in quodam ſuo libello ſibi fuiſſe reuelatum B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, ſed poſteà ab eodem fuiſſe mundatam.

Idem tenet Beatus & Dominus Albertus Magnus Epiſcopus Ratiſponenſis in 3. ſent. diſt. 3 ſic dicens, Dicimus B. Virginem contraxiſſe peccatum originale nec fuiſſe ſanctificatam ante conceptionem, nec in conceptione, ſed poſt conceptionem. Dicere autem oppoſitum eſt hæreſis condemnata à B. Bernardo, & ab omnibus Magiſtris Pariſius. Hæc ille.

Idem tenet Dominus Hugo de ſancto Theodorico Cardinalis tituli ſanctæ Sabinæ, in poſtilla ſua ſuper Eccleſiaſtem c. 7. ſic dicens, B. Virgo Maria contraxit in ſua conceptione originale peccatum, propter quod eius conceptio non celebratur: Si qui tamen celebrant dicunt habere reſpectum ad ſanctificatio-

tionem ſubſecutam ipſam concep-tionem, quia in vtero matris à pec-cato ſanctificata fuit.

Idem tenet Dominus Annibaldus Romanus Cardinalis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens. B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, ideò non fuit ſanctificata ante infuſio-nem animæ, nec in inſtanti infuſio-nis, ſed poſt infuſionem.

Idem tenet Dominus Petrus de Tarantaſia qui fuit poſteà Papa In-nocentius V. Vide vbi ſunt dicta Pontificum.

Idem tenet Dominus Robertus Anglicus Cardinalis Hoſtienſis in 2. ſent. diſt. 31. q. 1. art. 1. & in 3. ſent. d. 3. in expoſitione litteræ ſic dicens, B. Virgo fuit in originali peccato concepta, ſicut cæteri, qui ex coitu concipiuntur, ſed fuit poſteà in vte-ro matris ſanctificata.

Idem tenet Gualterius Anglicus Cardinalis tit. Sanctæ Sabinæ in 2. parte ſummæ ſuæ in tractatu de pec-cato originali ſic dicens, B. Virgo fuit in originali peccato concepta,

ſed poſt animationem citiſſimè fuit per ſanctificationem mundata.

Idem tenet Dominus Ioannes Dominici de Florentia Cardinalis ſancti Sixti ſuper Magnificat dicens ſic, Dicere B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali eſt omnes antiquos Doctores negare, & maximè Auguſtinum, qui expreſsè dicit B. Virginem fuiſſe in peccato originali conceptam in 10. ſuper Geneſ. ad litteram. Item idem in tractatu de conceptione qui incipit, Reſecandæ ſunt putridæ carnes, ſic dicit: B. Virgo fuit concepta in peccato originali, vt dicunt ſancti & omnes Doctores: Dicere autem oppoſitum eſt hæreticum, tùm quia eſt ſequi hæreſim damnatam Pelagij, tùm quia eſt fidei veritati contradicere, tum quia eſt ſacram ſcripturam deprauare, tum quia eſt ab auctoritate Eccleſiæ & Conciliorum ſe diuidere, tum quia eſt negare eam per Paſſionem Chriſti fuiſſe redemptam, tum quia eſt dicere eam æqualis eſſe puritatis cum Chriſto, tum

quia eſt dicere eam non fuiſſe mortuam.

Idem tenet Dominus Ioannes de Turrecremata Cardinalis ſancti Sixti. Vide ſupra inter Canoniſtas.

Idem tenet Dominus Petrus de Palude Patriarcha Hieroſolymitanus in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, B. Virgo non fuit ſanctificata ante conceptionem, nec in ipſa conceptione, quando ſibi fuit infuſa anima, quia tunc contraxit peccatum originale, ſed poſt infuſionem animæ & ante natiuitatem.

Idem tenet Dominus Durandus de ſancto Portiano Epiſcopus Meldenſis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens: Quamuis B. Virgo potuerit à peccato præſeruari, non tamen fuit decens, vt à peccato præſeruaretur, quia ſingularis conceptio Chriſti debuit hoc ſingulari priuilegio dotari, vt ipſa ſola eſſet ſine peccato; quod non habuiſſet, ſi B. Virgo peccatum non contraxiſſet. Confirmatur hoc per illud Ioan. 3. Quod natum ex carne caro eſt, & quod natum

rum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Quod autē de facto non fuerit præſeruata patet per Apoſtolum ad Rom. 5. qui dicit, omnes in Adam peccaſſe, & neminem excipit, niſi ſolum Chriſtum, ſimiliter Auguſtinus, Anſelmus, & Bernardus expreſsè dicunt illam fuiſſe conceptam in peccato originali.

Idem tenet Dominus Iacobus de Voragine Archiepiſcopus Ianuenſis in primo ſerm. Aſſumptionis B. Virginis ſic dicens, Chriſtus fuit ſine peccato originali conceptus & natus: cæteri ſancti cum originali peccato concipiuntur & naſcuntur. Virgo autem Maria medium tenuit, quia fuit cum originali peccato concepta & ſine originali peccato nata. Idem dicit in 2. & 3. ſerm. de Natiu. B. Virginis Mariæ, & in ſuo Mariali.

Idem tenet Dominus Iacobus de Lauſana Epiſcopus Lauſanenſis & Doctor Pariſienſis ſuper Eccleſiaſtem cap. 7. ſic dicens, Inter omnes viros, inquit ſcriptura, vnum

ſolum inueni omninò mundum ab omni peccato ſcilicet Chriſtum: ſed inter mulieres nullam, quia B. Virgo fuit infecta originali peccato. Idem dicit in 3. ſent. & in ſer. Purificationis.

Idem tenet Dominus Ioannes Lictimber Epiſcopus Ratiſponenſis in ſerm. Natiuit. B. Virginis ſic dicens, Natiuitas B. Virginis non habuit admixtionem tenebræ peccati originalis, quia fuit ab ipſo per gratiam ſanctificationis mundata.

Idem tenet Dominus Ioannes Epiſcopus Boſſinenſis in 3. ſent. diſt. 3. B. Virgo, inquit, fuit in originali peccato concepta, ſed ab eo antequàm naſceretur fuit mundata.

Idem tenet Dominus Angelus de Bononia Archiepiſcopus Florentinus in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, B. Virgo non ſolùm in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſub originali peccato, ſed etiam ſecundum aliquod tempus, licet illud fuerit breuiſſimum, vt plures ſancti teſtantur: Cùm enim Chriſtus ſit caput Eccle-

ſiæ omnibus hominibus conuenit redimi per ipſum: Si autem Beata virgo non habuiſſet originale peccatum, non fuiſſet redempta per Chriſtum, quod eſt erroneum.

Idem tenet Dominus Martinus Polonus Epiſcopus & Domini Ioãnis 22. Pœnitentarius in ſerm. B. Virginis ſic dicens, B. Virgo fuit ab originali peccato, antequam naſceretur, in vtero matris per ſanctificationem mundata.

Idem tenet Dominus Vincentius Bellouacenſis Doctor Pariſienſis & Epiſcopus in quodam tractatu de laudibus B. Virginis titulo de ſanctiſicatione, ſic dicens, B. Virgo poſt ſui animationem fuit ſanctiſicata, & à peccato originali mundata, vt puriſſima naſceretur.

Item tenet Thomas de Lenchino Patriarcha Hieroſolymitanus in ſer. Aſſumptionis B. Virginis ſic dicens, B. Virgo poſtquàm fuit in vtero matris à peccato originali mundata, ſemper ab omni actuali peccato illibata permanſit.

¶ Idem tenet Dominus Gulielmus Peraldi Doctor Pariſienſis Epiſcopus Lugdunenſis, qui in ſerm. Purificationis & Natiuitatis B. Virginis dicit: B. Virgo fuit antequam naſceretur à peccato originali adhuc in ventre matris exiſtens purgata.

¶ Idem tenet Dominus Heruæus Doctor Pariſienſis clariſſimus & Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum in ſuo quodlibeto 4. q. vltima ſic dicens: Decuit vt B. Virgo in originali peccato conciperetur, tùm quia ad honorem Chriſti pertinet, vt tota natura humana, quæ deſcendit ſeminaliter ab Adam, indiguerit redemptione facta per Chriſtum, tùm quia ad dignitatem Chriſti pertinet, quòd ipſe ſolus ſit mortuus liber & non debitor mortis: De facto etiam contraxit originale peccatum, tùm quia ſeminaliter deſcendit ab Adam per concubitum parentum, tùm quia hoc conſonat ſacræ ſcripturæ & dictis ſanctorum.

¶ Idem tenet Dominus Iacobus

de Peruſio Epiſcopus Peruſinus in ſerm. Annunciationis ſic dicens, Spiritus ſanctus veniens in Mariam in vtero matris ſuæ non ſolùm eam mundauit à peccato originali quantum ad maculam, ſed eam etiam in bono quodammodo confirmauit ligando fomitem peccati.

¶ Idem tenet Magiſter Bonibologninus Bononienſis Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3. q. 1. a. 2. ſic dicens, B. Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, nec in inſtãti animationis, ſed poſt animationem, quia ſi non contraxiſſet originale peccatum, non indiguiſſet vniuerſali ſatisfactione & redemptione Chriſti, quod eſt contra Apoſtolum dicentem, quòd omnes indigent gloria Chriſti.

¶ Idem tenet Magiſter Ioannes de Bublia Bononienſis, Doctor Pariſienſis in quolibeto 14. q. 1. a. 4. ſic dicens, B. Virgo & omnes alij præter Chriſtum concepti ſunt in peccato originali, quia omnes præter ipſum per virtutem ſeminalem

ex concubitu viri & mulieris ſunt generati. Et hoc expreſſè dicit Auguſtinus in 10. ſup. Geneſim ad litteram. Item in quodlibeto 19. q. 1. art. 2. Beata Virgo contraxit originale peccatum; quia natura humana in ipſa fuit traducta per virtutem ſeminalem à parentibus deciſam. Et hoc expreſsè dicunt Gregorius, Auguſtinus, & Anſelmus.

¶ Idem tenet Magiſter Ioannes de Neapoli Doctor Pariſienſis in quodlibeto primo q. 12. ſic dicens, B. Virgo fuit concepta in peccato originali, tùm quia deſcendit ſeminaliter ab Adam, tùm quia ſcriptura neminem excipit; niſi Ieſum Chriſtum, tùm quia Auguſtinus, Gregorius, Leo Papa, Anſelmus, & Bernardus hoc expreſsè ad litteram dicunt.

¶ Idem tenet Magiſter Durandellus Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, B. Virgo habuit peccatum originale, tùm quia fuit redempta. Redemptio autem præſupponit obligationem culpæ; ſicut

ſanatio præſupponit infirmitatem, tùm etiam quia Auguſtinus dicit, quòd de facto fuit culpæ obligata.

¶ Idem tenet Magiſter Robertus Holcoth Anglicus Doctor Pariſienſis ſuper lib. Sapientiæ c. 14. lect. 160. ſic dicens, B. Virgo fuit ſanctificata in vtero matris, & emundata fuit à peccato originali: in ea fomes fuit ſic ligatus, quòd nunquam eam in aliquod actuale peccatum impegit. In ſecunda verò ſanctificatione, quando concepit filium Dei, fuit fomes peccati totaliter ſublatus, & in bono confirmata, vt de cætero non poſſet peccare.

¶ Idem tenet Magiſter Romanus in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, B. Virgo per primam ſanctificationem fuit in vtero matris à peccato originali mundata: in ſecunda verò ſanctificatione fuit à fomite peccati liberata.

¶ Idem tenet Magiſter Leonardus Statij de Florentia in ſerm. Annunciat. ſic dicens: B. Virgo Maria post inſtans ſuæ conceptionis

quàm citò fieri potuit fuit à macula originalis peccati emundata & poſtea à fomite peccati totaliter liberata.

¶ Idem tenet ſanctus Antoninus Archiepiſcopus Florent. prima parte ſummæ titulo de peccato originali dicens, Si volumus attendere ad dicta ſacræ ſcripturæ & ſanctorum Doctorum manifeſtè patet B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, & ſic eius conceptio non eſt celebranda, niſi in ordine ad ſanctificationem ſubſecutam. Idem dicit 3. parte titulo de ſtatu comprehenſorum. Idem parte 4. titulo de dono pietatis. Idem prima parte Chronicæ tit. 1. c. 14. & tit. 5. c. 1.

Idem tenent omnes Doctores qui ſequuntur hic inferius eiuſdem Ordinis Prædicatorum. In primis.

¶ Dominus Vlricus Argentinus magnus Theologus & Canoniſta lib. 5. ſummæ c. 5. & 7.

¶ Magiſter Thomaſinus Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Hugo de Argentina

Doctor Pariſienſis in ſuo compendio Theologiæ.

¶ Magiſter Nicolaüs Traueth Doctor Pariſienſis in quodlibeto 3. queſt. 4.

¶ Magiſter Bernardus de Claromonte Doctor Pariſienſis in quodlibeto 15. q. 13.

¶ Magiſter Thomas Anglicus in poſtilla ſup. Pſalterium, pſalmo 17.

¶ Magiſter Ioannes Sterlingarij Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Thomas de Suetonia Doctor Pariſienſis in compendio Theologiæ lib. 4. c. 3.

¶ Magiſter Albertus de Brixia Doctor Pariſienſis in ſumma ſua lib. 3. tractatu 4. c. 3.

¶ Magiſter Nicolaüs Gorran Doctor Pariſienſis ſup. Lucam c. 1.

¶ Magiſter Gulielmus de Alchono Doctor Pariſienſis ſuper Eccleſiaſt. c. 7.

¶ Magiſter Petrus de Polonia in poſtilla ſuper Luc. c. 1.

¶ Magiſter Ioannes Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Ioannes Balbus Ianuenſis in ſuo Catholicon in littera virtus.

¶ Magiſter Iacobus de Beneuento in ſer. Nat. B. Virginis.

¶ Magiſter Aldobrandinus de Tuſcanella in ſermone Vigiliæ Natiuit. Domini, & in Dominica infra Octauas, & in ſer. Natiuit. B. Virginis.

¶ Magiſter Conſtantinus de Montebudello in ſer. Nat. B. Virg.

¶ Magiſter Gulielmus de Roma Doctor Pariſienſis in ſer. Natiuitat. Domini.

¶ Magiſter Bartholomæus de Bononia in poſtilla ſuper Lucam.

¶ Magiſter Ioannes de Verdiaco in poſtilla ſup. cantica.

¶ Magiſter Ioannes de Francforte ſup. Iob. c. 14. & in ſerm. de ſanctificatione B. Virginis.

¶ Magiſter Petrus Caloclugienſis in ſuo legendario capitulo de ſanctificatione & Conceptione B. Virginis.

¶ Magiſter Guido Gallicus Do-

ctor Pariſienſis in ſer. Annunciat. B. Virginis.

¶ Magiſter Nicolaüs de Eſculo in ſer. Natiuit. Domini.

¶ Magiſter Bonifacius de Cremona in ſerm. Purific. Annunciat. & Natiuit. B. Virginis.

¶ Dominus Antonius de Azaro Parmenſis in ſerm. de Paſſione Domini.

¶ Magiſter Ioannes de ſancto Geminiano in ſerm. Annunciat. & Natiuit. B. Virginis.

¶ Magiſter Petrus Galdini in ſerm. Circumciſionis Domini & in ſerm. Aſſumptionis.

¶ Magiſter Petrus Hieremiæ Siculus in multis ſermonibus.

¶ Magiſter Leonardus de Vtino in ſer. Nat. B. Virginis.

¶ Magiſter Ioannes de Gallicis in ſerm. 1. & 2. Aduentus.

¶ Magiſter Antonius de Bononia in ſerm. Natiu. Domini.

¶ Magiſter Petrus de la Scalla Veronenſis in ſer. Nat. & in multis ſermonibus.

¶ Magiſter Ioannes de Montenigro in tract. glorioſo, quem fecit de conceptione.

¶ Magiſter Iacobus Aegidij de Barcinona Magiſter ſacri Palatij in tract. de Concept. B. Virginis.

¶ Magiſter Ioannes Britij in tract. de Conceptione B. Virginis.

¶ Magiſter Raynerius de Piſis in 2. parte ſummæ ſuæ.

¶ Magiſter Raphaël de Pornaſio Ianuenſis in tract. de Conceptione.

¶ Doctiſſimus Pater F. Dominicus de Catalonia in tract. de Concept. B. Virginis.

Omnes iſti prænominati ſunt ex ſacro Ordine Prædicatorum viri doctiſſimi.

Doctores Ordinis Minorum tenentes firmiter B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali.

In primis ſanctus Antonius qui ſepultus eſt Paduæ in quodam ſerm. Natiuit. B. Virginis ſic dicit, B. Virgo fuit in vtero matris à peccato

cato per gratiam ſanctificata, & ſine peccato nata.

Idem tenet S. Bonauentura Cardinalis in 3. ſentent. d. 3. q. 1. art. 2. ſic dicens. Si B. Virgo non fuiſſet concepta in peccato originali, tunc caruiſſet merito mortis, & ſic vel iniuſtè mortua fuiſſet, vel diſpenſatiuè pro ſalute humani generis: primum facit ad contumeliam Dei; ſecundum derogat Chriſto. Item ſi peccatum non habuiſſet, tunc ſi ante Chriſti paſſionem mortua fuiſſet, regnum cœlorum fuiſſet conſecuta: hoc autem eſt inconueniens: igitur. Itē ſi peccatum non habuiſſet Chriſti morte redempta non fuiſſet, quod impium, & nefarium eſt dicere. Et ideò eſt dicendum, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & quòd eius ſanctificatio ſubſecuta eſt originalis peccati contractionem. Hic autem dicendi modus eſt communior, rationabilior, & ſecurior. Communior, inquam, quia ferè omnes id tenent cùm id appareat ex multiplici eius pœna-

litate, & morte, quam non eſt dicere, eam paſſam fuiſſe iniuſtè, nec propter aliorum redemptionem, ſed propter peccati contractionem, Rationabilior etiã eſt, quia eſſe naturæ præcedit eſſe gratiæ vel tempore vel naturâ: Et propter hoc dicit Auguſtinus, Priùs eſt naſci quàm renaſci, ſicut priùs eſt eſſe, quàm bene eſſe. Igitur priùs eſt animam vniri carni, quàm gratiam ei infundi. Si ergo caro illa infecta fuit, ex ſui infectione nata erat inficere animã, quæ ei vniebatur, culpâ originali, & ita neceſſe eſt ponere, quòd ante fuerit in ea originalis peccati infectio, quàm gratiæ infuſio vel ſanctificatio. Securior etiam eſt, quia magis conſonat fidei pietati & ſanctorum auctoritati; ſanctorum auctoritati magis concordat pro eo quod ſancti communiter, cum de hac materia loquuntur, ſolum Chriſtum excipiunt ab illa generalitate, quæ dicit, Omnes in Adam peccauerunt. Nullus autem inuenitur dixiſſe de his, quos vidimus & audiuimus au-

ribus noſtris, B. Virginem fuiſſe ab originali peccato immunem in ſui conceptione : Pietati fidei etiam magis concordat, pro eo quod, ſi mater ſit habenda in reuerentia & magna erga eam ſit habenda deuotio, multò tamen major habenda eſt ad Filium, ex quo eſt ei omnis honor & gloria : & ideò quia hoc ſpectat ad excellentem dignitatem Chriſti, quòd ipſe ſolus eſt omnium ſaluator & redemptor, & quod omnibus aperuit ianuam Paradiſi, & quòd ipſe pro omnibus mortuus eſt, nullatenus ab hac generalitate Virgo Maria eſt excludēda, ne dum matris excellentia ampliatur, Filij gloria minuatur, Et ſic mater prouocetur, quæ vult magis Filium ſuum extolli & honorari, quàm ſeipſam vt pote creatorem quàm creaturam. Huic ergo poſitioni adhærentes propter honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in nullo præjudicat honori matris, cũ Filius incomparabiliter matrem antecellat, teneamus ſecundum quod commu-

nis opinio tenet Virginis ſanctificationem fuiſſe poſt originalis peccati contractionem. Vnde rationes hoc probantes concedendæ ſunt, quia verum concludunt. Hæc ille.

Idem tenet Alexander de Ales Doctor clariſſimus in 3. parte ſummæ circa materiam de ſanctificatione Virginis art. 1. ſic dicens: Quia enim omnis homo, qui carnali generatione generatur, de neceſſitate contrahit in ſui conceptione originale peccatum, neceſſe fuit, vt B. Virgo à parentibus generata carnaliter originale peccatum in ſui conceptione contraheret. Item art. 2. B. inquit, Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificari non potuit; Primò quia Bernardus dicit, quòd in ipſo conceptu ſanctificari non potuit propter peccatum, quod inerat. Reſtat ergo vt poſt conceptionem ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem, non autem conceptionem. Secundò quia dicit, idem Bern. quòd quamuis paucis

datum ſit cum ſanctitate naſci, nulli tamen niſi ſoli Chriſto datum eſt cum ſanctitate concipi. Ergo B. Virgo non fuit ſancta in conceptione. Tertiò quia dicit Bernardus; quòd quia ſolus Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus eſt, ideò ſolus ipſe fuit in conceptione ſanctus, quô excepto neceſſe eſt, vt omnes confiteantur illud, quod Dauid humiliter confitetur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & per conſequens oportet dicere, quòd Virgo fuit in peccato concepta. Quartò quia ſi B. Virgo non fuiſſet in peccato concepta, non habuiſſet reatum peccati, ſed ſi non habuiſſet reatum peccati, non indiguiſſet redemptione facta per Chriſtum, quia redemptio talis eſt ſolùm propter peccatum, quòd non eſt ſecundum fidem Catholicam tenendum. Quintò quia Auguſtinus & Leo Papa dicunt, quòd ſicut Chriſtus pro omnibus liberandis venit, ita neminem à reatu peccati liberum reperit, & per conſequens ſequitur, quòd B.

quàm citò fieri potuit fuit à macula originalis peccati emundata & poſtea à fomite peccati totaliter liberata.

¶ Idem tenet ſanctus Antoninus Archiepiſcopus Florent. prima parte ſummæ titulo de peccato originali dicens, Si volumus attendere ad dicta ſacræ ſcripturæ & ſanctorum Doctorum manifeſtè patet B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam; & ſic eius conceptio non eſt celebranda, niſi in ordine ad ſanctificationem ſubſecutam. Idem dicit 3. parte titulo de ſtatu comprehenſorum. Idem parte 4. titulo de dono pietatis. Idem prima parte Chronicæ tit. 1. c. 14. & tit. 5. c. 1.

Idem tenent omnes Doctores qui ſequuntur hic inferius eiuſdem Ordinis Prædicatorum. In primis.

¶ Dominus Vlricus Argentinus magnus Theologus & Canoniſta lib. 5. ſummæ c. 5. & 7.

¶ Magiſter Thomaſinus Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Hugo de Argentina

Doctor Pariſienſis in ſuo compendio Theologiæ.

¶ Magiſter Nicolaüs Traueth Doctor Pariſienſis in quodlibeto 3. queſt. 4.

¶ Magiſter Bernardus de Claromonte Doctor Pariſienſis in quodlibeto 15. q. 13.

¶ Magiſter Thomas Anglicus in poſtilla ſup. Pſalterium, pſalmo 17.

¶ Magiſter Ioannes Sterlingarij Doctor Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Thomas de Suetonia Doctor Pariſienſis in compendio Theologiæ lib. 4. c. 3.

¶ Magiſter Albertus de Brixia Doctor Pariſienſis in ſumma ſua lib. 3. tractatu 4. c. 3.

¶ Magiſter Nicolaüs Gorran Doctor Pariſienſis ſup. Lucam c. 1.

¶ Magiſter Gulielmus de Alchono Doctor Pariſienſis ſuper Eccleſiaſt. c. 7.

¶ Magiſter Petrus de Polonia in poſtilla ſuper Luc. c. 1.

¶ Magiſter Ioannes Pariſienſis in 3. ſent. diſt. 3.

¶ Magiſter Ioannes Balbus Ianuenſis in ſuo Catholicon in littera virtus.

¶ Magiſter Iacobus de Beneuento in ſer. Nat. B. Virginis.

¶ Magiſter Aldobrandinus de Tuſcanella in ſermone Vigiliæ Natiuit. Domini, & in Dominica infra Octauas, & in ſer. Natiuit. B. Virginis.

¶ Magiſter Conſtantinus de Montebudello in ſer. Nat. B. Virg.

¶ Magiſter Gulielmus de Roma Doctor Pariſienſis in ſer. Natiuitat. Domini.

¶ Magiſter Bartholomæus de Bononia in poſtilla ſuper Lucam.

¶ Magiſter Ioannes de Verdiaco in poſtilla ſup. cantica.

¶ Magiſter Ioannes de Francforte ſup. Iob. c. 14. & in ſerm. de ſanctificatione B. Virginis.

¶ Magiſter Petrus Calocſugienſis in ſuo legendario capitulo de ſanctificatione & Conceptione B. Virginis.

¶ Magiſter Guido Gallicus Do-

ctor Pariſienſis in ſer. Annunciat. B. Virginis.

¶ Magiſter Nicolaüs de Eſculo in ſer. Natiuit. Domini.

¶ Magiſter Bonifacius de Cremona in ſerm. Purific. Annunciat. & Natiuit. B. Virginis.

¶ Dominus Antonius de Azaro Parmenſis in ſerm. de Paſſione Domini.

¶ Magiſter Ioannes de ſancto Geminiano in ſerm. Annunciat. & Natiuit. B. Virginis.

¶ Magiſter Petrus Galdini in ſerm. Circumciſionis Domini & in ſerm. Aſſumptionis.

¶ Magiſter Petrus Hieremiæ Siculus in multis ſermonibus.

¶ Magiſter Leonardus de Vtino in ſer. Nat. B. Virginis.

¶ Magiſter Ioannes de Gallicis in ſerm. 1. & 2. Aduentus.

¶ Magiſter Antonius de Bononia in ſerm. Natiu. Domini.

¶ Magiſter Petrus de la Scalla Veronenſis in ſer. Nat. & in multis ſermonibus.

¶ Magiſter Ioannes de Montenigro in tract. glorioſo, quem fecit de conceptione.

¶ Magiſter Iacobus Aegidij de Barcinona Magiſter ſacri Palatij in tract. de Concept. B. Virginis.

¶ Magiſter Ioannes Britij in tract. de Conceptione B. Virginis.

¶ Magiſter Raynerius de Piſis in 2. parte ſummæ ſuæ.

¶ Magiſter Raphaël de Pornaſio Ianuenſis in tract. de Conceptione.

¶ Doctiſſimus Pater F. Dominicus de Catalonia in tract. de Concept. B. Virginis.

Omnes iſti prænominati ſunt ex ſacro Ordine Prædicatorum viri doctiſſimi.

Doctores Ordinis Minorum tenentes firmiter B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali.

In primis ſanctus Antonius qui ſepultus eſt Paduæ in quodam ſerm. Natiuit. B. Virginis ſic dicit, B. Virgo fuit in vtero matris à peccato

cato per gratiam ſanctificata, & ſine peccato nata.

Idem tenet S. Bonauentura Cardinalis in 3. ſentent. d. 3. q.1.art.2. ſic dicens. Si B. Virgo non fuiſſet concepta in peccato originali, tunc caruiſſet merito mortis, & ſic vel iniuſtè mortua fuiſſet, vel diſpenſatiuè pro ſalute humani generis: primum facit ad contumeliam Dei; ſecundum derogat Chriſto. Item ſi peccatum non habuiſſet, tunc ſi ante Chriſti paſſionem mortua fuiſſet, regnum cœlorum fuiſſet conſecuta: hoc autem eſt inconueniens: igitur. Itẽ ſi peccatum non habuiſſet Chriſti morte redempta non fuiſſet, quod impium, & nefarium eſt dicere. Et ideò eſt dicendum, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & quòd eius ſanctificatio ſubſecuta eſt originalis peccati contractionem. Hic autem dicendi modus eſt communior, rationabilior, & ſecurior. Communior, inquam, quia ferè omnes id tenent cùm id appareat ex multiplici eius pœna-

litate, & morte, quam non eſt dicere, eam paſſam fuiſſe iniuſtè, nec propter aliorum redemptionem, ſed propter peccati contractionem, Rationabilior etiã eſt, quia eſſe naturæ præcedit eſſe gratiæ vel tempore vel naturâ : Et propter hoc dicit Auguſtinus, Priùs eſt naſci quàm renaſci, ſicut priùs eſt eſſe, quàm bene eſſe. Igitur priùs eſt animam vniri carni, quàm gratiam ei infundi. Si ergo caro illa infecta fuit, ex ſui infectione nata erat inficere animã, quæ ei vniebatur, culpâ originali, & ita neceſſe eſt ponere, quòd ante fuerit in ea originalis peccati infectio, quàm gratiæ infuſio vel ſanctificatio. Securior etiam eſt, quia magis conſonat fidei pietati & ſanctorum auctoritati; ſanctorum auctoritati magis concordat pro eo quod ſancti communiter, cum de hac materia loquuntur, ſolum Chriſtum excipiunt ab illa generalitate, quæ dicit, Omnes in Adam peccauerunt. Nullus autem inuenitur dixiſſe dè his, quos vidimus & audiuimus au-

ribus noſtris, B. Virginem fuiſſe ab originali peccato immunem in ſui conceptione: Pietati fidei etiam magis concordat, pro eo quod, ſi mater ſit habenda in reuerentia & magna erga eam ſit habenda deuotio, multò tamen major habenda eſt ad Filium, ex quo eſt ei omnis honor & gloria: & ideò quia hoc ſpectat ad excellentem dignitatem Christi, quòd ipſe ſolus eſt omnium ſaluator & redemptor, & quod omnibus aperuit ianuam Paradiſi, & quòd ipſe pro omnibus mortuus eſt, nullatenus ab hac generalitate Virgo Maria eſt excludēda, ne dum matris excellentia ampliatur, Filij gloria minuatur, Et ſic mater prouocetur, quæ vult magis Filium ſuum extolli & honorari, quàm ſe-ipſam vt pote creatorem quàm creaturam. Huic ergo poſitioni adhærentes propter honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in nullo præjudicat honori matris, cū Filius incomparabiliter matrem antecellat, teneamus ſecundum quod commu-

nis opinio tenet Virginis ſanctificationem fuiſſe poſt originalis peccati contractionem. Vnde rationes hoc probantes concedendæ ſunt, quia verum concludunt. Hæc ille.

Idem tenet Alexander de Ales Doctor clariſſimus in 3. parte ſummæ circa materiam de ſanctificatione Virginis art. 1. ſic dicens: Quia enim omnis homo, qui carnali generatione generatur, de neceſſitate contrahit in ſui conceptione originale peccatum, neceſſe fuit, vt B. Virgo à parentibus generata carnaliter originale peccatum in ſui conceptione contraheret. Item art. 2. B. inquit, Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificari non potuit; Primò quia Bernardus dicit, quòd in ipſo conceptu ſanctificari non potuit propter peccatum, quod inerat. Reſtat ergo vt poſt conceptionem ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit natiuitatem, non autem conceptionem. Secundò quia dicit, idem Bern. quòd quamuis paucis

datum ſit cum ſanctitate naſci, nulli tamen niſi ſoli Chriſto datum eſt cum ſanctitate concipi. Ergo B. Virgo non fuit ſancta in conceptione. Tertiò quia dicit Bernardus; quòd quia ſolus Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus eſt, ideò ſolus ipſe fuit in conceptione ſanctus, quô excepto neceſſe eſt, vt omnes confiteantur illud, quod Dauid humiliter confitetur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & per conſequens oportet dicere, quòd Virgo fuit in peccato concepta. Quartò quia ſi B. Virgo non fuiſſet in peccato concepta, non habuiſſet reatum peccati, ſed ſi non habuiſſet reatum peccati, non indiguiſſet redemptione facta per Chriſtum, quia redemptio talis eſt ſolùm propter peccatum, quod non eſt ſecundum fidem Catholicam tenendum. Quintò quia Auguſtinus & Leo Papa dicunt, quòd ſicut Chriſtus pro omnibus liberandis venit, ita neminem à reatu peccati liberum reperit, & per conſequens ſequitur, quòd B.

Virgo peccatum in ſui concept... ſe habuerit: Et ideò dicendum eſt, quod B. Virgo in ſui conceptione ſanctificari non potuit, quia tunc originale peccatum contraxit. Item idem in ſequenti articulo. B. Virgo per primam ſanctificationem fuit mundata ab omni culpa; Per ſecundam verò ſanctificationem fuit mundata à ſordibus vitiorum id eſt ab illis difficultatibus, quas habebat ad tendendum in bonum, quæ peccatum conſequuntur. Item idem in ſequenti articulo. B. Virgo per primam ſanctificationē fuit totaliter à culpa originali mundata, ſed fomes peccati remanſit ligatus; ſed per ſecundam ſanctificationem fomes fuit totaliter ablatus. Item idem in ſequenti articulo. Duo, inquit, erant, quæ prohibebant viſionem Dei, videlicet culpa originalis & reatus naturæ à peccato cauſatus: Per primam ſanctificationem fuit remotum peccatum originale & reatus perſonalis, remanente adhuc reatu naturæ, & ideò ſi ante Chriſti paſſionem mor-

tua fuiſſet, non euolaſſet in cœlum, ſed deſcendiſſet ad locum ſanctorum Patrum propter reatum naturæ. Hæc ille. Idem dicit in 3. ſent. in multis articulis, & ſuper Pſal. Deus noſter refugium, & in Mariali ſuo. Hæc Alexander de Ales Ordinis Minorum.

Idem tenet Ricardus de Mediauilla Doctor Pariſienſis Ordinis Minorum in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicens, Anima B. Virginis ex ſui vnione ad carnem peccatum originale contraxit, ſicut dicit Auguſtinus in 10. ſup. Geneſim & Anſel. in lib. cur Deus homo.

Idem tenet Guillelmus Ocham Doctor Pariſienſis eiuſdem Ordinis Minorum in 2. ſent. diſt. 3. art. 1. ſic dicens, Concedo quòd B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, ſicut ſatis patet per auctoritates Auguſtini & Anſelmi.

¶ Idem tenet Reginaldus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Doctor Pariſienſis, eiuſdem Ordinis Minorum in 3. ſent. diſt. 3. ſic di-

cens : Sicut impuritas derogaret virgini, ſi non fuiſſet in vtero matris ſanctificata; ita ſi Virgo Maria ſine originali peccato concepta fuiſſet, derogaret Chriſto;cuius priuilegium eſt, vt ſolus ipſe ſit ſine peccato conceptus; & ideò non eſt hic honor Virgini attribuendus, quia in veritate non eſt honor nec decentia.

¶ Idem tenet Aluarus Hiſpanus Epiſcopus Syluenenſis, eiuſd. Ordinis Minorum in libro ſuo de planctu Eccleſiæ, ſic dicens: De matre Chriſti beatiſſima tenent ſancti & maximè Auguſtinus & Bernardus, quòd nunquam peccauit actualiter, tamē in originali peccato concepta fuit, ſicut cæteri homines, qui ex commixtione ſeminum concepti ſunt: Ad hoc facit, quòd habetur de conſecratione diſt. 4. cap. Firmiſſimè, & in gloſ. ſuper caput 1. de conſecr, diſt. 3. in gloſ. ſup. c. 2. & ſuper caput Per bapt. de conſecr, diſt. 4. Et facit optimè 27. q. 2. omne. Et hanc ſententiam tenent omnes antiqui Theologi videlicet Ale-

xander., Thomas, Bonauentura, Ricardus, licet quidam noui Theologi à ſenſu communi Eccleſiæ recedentes contrarium teneant, indeuoti reuera Dominæ noſtræ, licet eius deuoti per hoc apparere nitantur, quorum noua opinio & phantaſtica, ſit penitus à fidelibus cancellata. Hæc ille.

¶ Idem tenet Magiſter Aegidius Zamorenſis Hiſpanus eiuſdem Ordinis Minorum in ſumma ſua., cap. de Maria ſic dicens, B. Virgo Maria fuit in originali peccato concepta, ſed poſteà fuit ab eodem per gratiam ſanctificantem ante natiuitatem mundata, & hæc eſt ſententia ſanctorum & Doctorum communior atque ſecurior. Hæc ille.

¶ Idem tenet Magiſter Ioan. de Rupella eiuſdem Ordinis Minorum in ſerm. Natiuit. Virginis ſic dicens, B. Maria in ſui conceptione habuit amaritudinem originalis corruptionis, ſed adhuc in vtero matris eius exiſtens dulcorata eſt per gratiam ſanctificationis., vt naſce-

retur in dulcedine ſanctitatis.

¶ Idem tenet Magiſter Robertus Contio Doctor Pariſienſis eiuſdem Ordinis Minorum in 3. ſent. diſt. 3. q. 9. ſic dicens, B. Virgo ſecundum mentem ſanctorum Doctorum contraxit in ſui conceptione originale peccatum; ſed poſteà fuit per ſanctificationem ab eodem mundata.

Idem tenet B. Lucas eiuſdem Ordinis Minorum, qui Paduæ ſepultus claruit miraculis in ſerm. de bapt. Chriſti, & in ſerm. de Nat. Virginis ſic dicens, Quia B. Virgo fuit in vtero matris per ſanctificationem ab originali peccato mundata, ideò natiuitas ipſius fuit tota gratioſa.

¶ Idem tenet Magiſter Conradus de Saxonia eiuſdem Ordinis Minorum ſuper ſalutatione Angelica ſic dicens, B. Virgo fuit quidem in peccato originali concepta, ſed ſine peccato nata, quod eſt contra illos, qui eam non ſolùm ſine peccato natam, ſed etiam ſine peccato conceptam fuiſſe aſſerunt: Cuius contrarium dicit Bernardus.

¶ Idem tenet Magiſter Bartholomæus de Piſis eiuſdem Ordinis Minorum, in ſerm. Facta ſunt encænia, ſic dicens, B. Virgo Maria fuit in vtero matris ſanctificata, per quam fuit peccatum ab ea remotum & fomes ligatus, vt dicit Alexander.

¶ Idem tenet Magiſter Thomas de Ales Doctor Pariſienſis eiuſdem Ordinis Minorum in lib. de vita B. Virginis *c.* 12. ſic dicens, B. Virgo Maria in peccato originali concepta fuit, vt dicit Auguſtinus 10. in Geneſim, ſed ante natiuitatem per ſanctificationem mundata fuit, vt dicunt Anſelmus & Bernardus. Hæc ille.

¶ Idem tenet Magiſter Iacobus Pictauienſis eiuſdem Ordinis Minorum in ſerm. Annunciationis ſic dicens, Sine dubio B. Maria Virgo væ culpæ originalis habuit, ſed poſteà ſtatim per gratiam purgata fuit.

Idem tenet Magiſter Nicolaüs de Lyra Doctor Pariſienſis eiuſdem Ordinis Minorum ſup. Lucam ex-

ponens illud, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, ſic dicens, Benè dicit ſuperueniet in te, quia priùs venerat in ipſam adhuc in vtero matris exiſtentem, eam à peccato originali purgando, vt communiter dicitur, ſed in Conceptione Filij Dei ſuperuenit Spiritus ſanctus, id eſt iterùm aduenit ad conferendam ei gratiæ plenitudinem.

Idem videtur tenere Ioannes Scotus in 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. in corp. quæſtionis ſic dicens, Deus potuit facere, vt B. Virgo nunquam fuerit in peccato originali: Potuit etiam feciſſe, vt ipſa tantùm in vno inſtanti fuiſſet in peccato; Potuit etiam facere, vt per tempus aliquod eſſet in peccato, & in vltimo inſtanti illius temporis purgaretur. Et infrà. Quid autem horum trium, quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia, ſit factum circa Mariam, Deus nouit: ſi autem auctoritati ſcripturæ non repugnat, videtur probabile, quod excellentius eſt attribuere Mariæ. Hæc ille. Cum igitur primum horum repugnet